VINDEX VERITATIS.

Aduersus

IVSTVM LIPSIVM

Libri duo.

Prior insanam eius religionem politicam,
fatuam nefariamq; de Fato, scelera-
tissimam de Fraude doctri-
nam refellit.

Posterior ψευδοπαρθένε *Sichemiensis, id est,*
Idoli Aspricollis, & Deæ ligneæ
miracula conuellit.

Vterque Lipsium ab orco Gentilismum
renocasse docet.

Auctore GEORGIO THOMSONO *Andrea-*
politano Scoto-Britanno.



LONDINI,
Ex Officina NORTONIANA.
cIↃ. IↃC. VI.



ORNATISSIMO Nobilissimoque D. D. *Iohanni Harringtonio* Equiti. S.



Arentum in me tuorum benignitas singularis, tuus, eques nobilißime, amor in me & affectus fecêre, vt ex Angliâ vestrâ iam discessurus, quâ potissimùm ratione gratum illis animum testari, quod tibi mutui amoris monimentum deberem relinquere, cogitarem. Cúmque nihil illìs tibique dono literario gratìus futurum sperarem, hos geminos qualescunque ingenij meï fœtus tibi dare statui & dicare, quos nec ingratos tibi nec inutiles spero futuros. Ad te, quem ego amo & colo; à me, quem &

tu amas veniunt, nobis à te longè remotis quandoque te allocuturi; tu modo illos respicere aliquando digneris, quod & spero te facturum, &, vt facias, etiam atque etiam rogo. Fateor quidem te sponte & naturâ tuâ veram virtutis viam ingressum, & quod ille vult, esse iam μιμητὴν καὶ ζηλωτὴν τῆς πατρῴας ἀρετῆς. *Veruntamen quia*

Isoc. ad Dem. imitatorem & æmulum paternæ virtutis.

Horat. Carm. lib. 4. od. 4.

doctrina—vim promouet insitam
Rectique cultus pectora roborant,

hoc, quidquid est, munusculi tibi visum est offerre; vt vbi quid in eo, & quàm iure reprehensum sit, perspexeris, magis magisque verax esse assuescas, nec ad politicum illud speculum vultum discas componere; sed omnem potius Simulationem Dissimulationemque malitiosam, Deceptionem impiè callidam, turpem & liberali animo indignam Corruptionem, Mendacium diabolicum, Perfidiamque detestabilem à te longè amandare; illósque, qui his artibus vtuntur & nituntur, aut alios niti docent, maturè odisse. Deinde vt cauere memineris, ne in hæc modò, modò in illa transeas castra, aut religionem subinde mutes: sed quam à cunis ex puri verbi Dei fontibus hausisti, constanter sequaris, ames, tuearis: nec illice tibi stilo, aut verborum lenocinio patiaris imponi:

nec,

nec, ſiquando in papiſtarum libros incideris, temerè illorum ſcriptis adijcias fidem, aut teſtimonia pro veris amplectare. Nam quod olim de Græcis dixit Cicero, id ego de toto Pontificiorum genere iure vſurpem. Tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis lepôrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique ſiqua ſibi alia aſſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem & fidem nunquam *iſti coluêre*, totiuſque huiuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. *Quippe* quibus iuſiurandum iocus eſt, teſtimonium ludus, *fides denique perfidia, quoties aut his, quos ipſis viſum eſt hæreticos vocare, iurant & dant fidem, aut ad ſua placita ſtabilienda profanorum ſanctorumque hominum accerſunt teſtimonia. Inter quos eminet Lipſius homo impiè doctus, omnique perfidia coopertus. Qui, Pharaonis inſtar, ſanctorum virorum operâ ad lutea ſua ædificia extruenda abutitur. Admirantur illum multi & ſuſpiciunt, quòd ex antiquitatis ruderibus ſcriptorum ſuorum maceriem congerere maluerit, quàm ex ſecto politioris æui lapide murum coagmentare. Ita vt illo auctore & ſectario hic ſermo verrucoſus &*

Cic. pro Flacco.

Pers. Sat. 1.

—hæc sartago loquendi
Venerit in linguas

& stilos: nec tantùm nou-antiquitati Lipsianæ plerique omnes hactenus ignouerint, sed & multi fauerint, nonnulli eam κακοζηλία *sunt æmulati, quos loquentes scribentesq́ue, admiranti stupentiq́ue in scenâ histrioni, aut flagranti amatori compares, cui*

Horat. Carm. lib. 4. od. 1.

parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio.

Verumenimuerò si linguarum tantùm & sermonis fieret iactura, æquior essem: sed vt lingua addiscit verba imitari, ita mens ijs, quorum verba sunt notæ, imbuitur, nisi siqua est diuinitùs afflata, aut recta institutiane priùs informata, quàm Lipsij attacta corruptelis. Quæ tibi sanè vtraque obtigêre. Nam & diuini Numinis munere non es corpus sine pectore, *sed solers & acutus: & optimorum nobilißimorumque tuorum parentum curâ & diligentiâ ita in studijs liberalibus educatus, vt in hac ætatulâ recta à prauis distinguere, à veris falsa scias discernere. Perge porrò hoc curriculum literarium, quod tam feciliter incepisti, decurrere, in quo & non exiguum fecisti progressum. Perge hunc laborem tibi nunquam pœnitendum desudare; vt parentibus voluptati,*

luptati, tuis omnibus ornamento, patriæ, principique, atque adeo toti Ecclesiæ aliquando sis vsui. Et nobilitatem à maioribus acceptam tua virtute tuam, vt facis, perge facere, spreto illorum exemplo, qui

—præclaro nomine tantùm Insignes *Iuuen. Sat. 8.*

indocti incultiq; vitam transeunt. *Et si quis pietate, modestia aut vlla alia virtutis laude erit eminentior, stude anteuertere.* *Salust. Catil.*

Tui cultor studiosissimus

GEORGIVS THOMSONVS.



AD LECTOREM.



NIhil vnquam mihi minus in mentem venit (Lector beneuole) quàm contra Lipsium quidquam (præter Epigramma in eius crucem) scribere, priusquam librum eius de Sichemiensi idolo vidissem. Sed nec tunc statim fuit consilium aduersus illum aliquid elucubrare: sed blasphemias & manifesta mendacia enotare. Sed cùm illas & ista tot esse animaduertissem, vt totus liber mihi transcribendus esset, si hæc talia vellem scribere, primum consilium mutaui, & relegendorum, quæ de Religione, de Fato, de Fraude mihi adolescenti lecta in eius politicis displicuissent, cepi nouum. Id ubi fecissem, illustre illud *Iamblychi* dictum comperi verissimum, *sicut in ceteris artibus, sic & in religione esse, qui eam falsò profitentur*. Quorum agmen iam ducit Lipsius, qui religionem docet & tollit; & Numæ iunctus Pompilio nobile par facit impostorum. Vterque

Iamblychus de myste. Aegyp.

que enim quam religionem instituit, dissoluit. Sed Lipsius multis parasangis nequitiâ Numam præuertit. Ille enim, quibus religiones, quas instituerat, dissoluit, libros in arca lapidea secum defodi curauit: qui non nisi casu a fossoribus reperti sunt, nec sparsi in vulgus, sed in populi concione concremati. At Lipsius, qui politicus vero Deo cultum deberi docet, idem historicus tribuit creaturis, &, quò omnes secum tribuant, dat gnauam operam, trunci miracula mentiendo, prorsâ vorsaq; oratione nostros onerando conuitijs, corruptis Patrum testimonijs veritatem obnubilando, denique non incautos tantùm imperitósque alliciendo, sed & doctiores confirmando, adhortandóque vt superstitioni suæ magis magísque adhærescant. Hæc vidi, & dolui: & partim vt mihi satisfacerem; sed præsertim vt meum veritatis, commodique publici studium testatum facerem, hoc operæ suscepi, hoc operis exegi. Quod tibi Lector beneuole (maleuolos maledicosque nihil moror) opto ex animo sit gratum. Ad formam quod attinet, non continuâ (vt vides) oratione vsus sum. Non erat quippe meum institutum ista quæ suprà memoraui, ceu locos communes tractare: sed, quæ de ijs scripsisset Lipsius, premere, quodque in ijs lateret venenum, exprimere. Fatum leuiter tantùm, & quà Dei gloriam minuebat, & ipsius Lipsij neo-stoïci impietatem prodebat, perstrinxi. Nec enim sum ὀνειροκρίτης, qui totum illud somnium interpreter. Pauca pro argumenti

Lactan. institut. lib. 1. c. 22.

menti

menti vbertate, nimis pauca aduersus tantam malitiam: sed tamen quæ imbecillitas nostra, & ingenium talium insolens, in aula alijs negotijs intentum potuit præstare, habes Lector æque. Quæ boni quæso consule, & nostris conatibus faue: & quisquis otio flores, & dicendi copia, ingenijque vales acumine (si sub veritatis signis facis stipendia) quod ego tentaui, perfice: & aut strenuum hunc veritatis aduersarium stilo confode viuum, aut ne mortui reliquias in honoris æde componi aut requiescere patiaris.

* * *



AD LIPSIVM PRAEFATIO.



Amdiu magnam orbis Christiani partem saccariâ tuâ ludificasti Lipsi. Iamdiu variorum scriptorum abusus ingenijs, hinc inde compilatas lacinias, obtorto, vt aiunt, collo, & auersis plerunque vestigijs in tuam traxisti sententiam. Dissimulauimus. In illis tuis ἐμβολίσμασι *conniximus; & quamdiu in tuo te vexasti puluere, & ad criticum exercuisti palum, præteriuimus. Ex cariosâ bustorum congerie, (ab alijs etiam accumulatâ) fœtentium sepulcrorum ruderibus, columnarum ruinis, fragminibus marmorum, statuarum ærugine tuo nomini monimentum conflasti. Quis inuidit? Inanem illum epistolarum tuarum follem, atque tumidam adeo vesicam nemo pupugit. Crucem, quam tribus libris, magna gabalorum, furcarum, paxillorum, & infelicium arborum accessione suffulsisti, non nos violentis manibus deripuimus, sed tutemet in extremâ ad eos libros notâ, leui vento in maximam egisti malam crucem. Electa tua non tam alij,*

quàm

Apul. Metam. 5.

quàm tu ipse alicubi culpas. Thesaurum *(vt ait ille)* abditæ fraudis *Imperatori, Regibus, Principibus in ciuili dedisti doctrinâ : vbi* venam exhibuisti plenius assiduè fodienti responsuram, *id est, omnibus altius scrutantibus commata complacitura. Et sunt certè illic, vt quæ dicuntur in Aegypto nasci*

Vide Lips. in nota extrema ad sua politica.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Homer. Odyss. δ.

Pharmaca multa quidem bona mista, & noxia multa.

Vt, quisque, prout est eius ingenium, legat, colligat: ceterùm

Martial.

Prætereat siquid non facit ad stomachum.

Terent. Eunucho in prologo.

Sed qui omnibus vult placere, is vult nemini. Tuum fuit Lipsi studere, placere bonis quamplurimis. *At cui nisi tibi, tuique similibus placuit ista religio politica? Cui Fatum? cui fraudes? Imò cui bono non valdè ista displicuêre? Vnus tamen, quòd sciam, scripto reprehendit. Admiranda tua vidimus, & Romanos illos admirati sumus, & etiamnũ*

Nos admiramur, sed non cum deside vulgo,
Sed velut Harpyas, Gorgonas, & Furias.

Thraseas de contemtu mortis liber Lipsî.

Quis carpsit? Sed quis tamen non iure carpat optimo? Quem tot annos Thraseam iactatione Thrasonica venditas & parturis, necesse est magnam aliquam belluam esse, barris vastiorem; aut, si peperisti, monstrum cuius te pudeat. Ille autem nullius stilum debet vereri, qui vsque adeo mortem contemnit, vt nondum voluerit viuere, aut in luminis oras venire. Constantia tua intacta iuit publicè: at priuatim vt placuit, ita displicuit plurimis. Satyra tua, & tu cum eâ, proscriptionem magis,

quam

quam scriptionem metuistis. In propylæis, quæ Stoæ præstruxisti, nemo vel leuiter spuit, nemo temerauit illud atrium, nedum ipsa adyta: nec tanti est illa disciplina, aut Stoica dogmata à Cynicis tunicâ *tantùm* distantia. *Securus in Amphitheatro tuo sedisti, nec à quopiam vulneratos, sed tandem mutuis casuros ictibus dedisti gladiatores. Cōtra instructas tuas acies nullus delectum habuit, nullus eduxit copias, nec contra Poliorcetica fecit machinas nouas. Tuæ linguæ Latinæ pronuntiationi obstrepuit nemo: omnes linguis fauimus: et vt ait ille* *Iuuen Sat. 13.*

—perpurgatis dedimus tibi operam auribus. *Plaut. mil. Glor. act. 3.*

Vestales tuas nemo defodit, nemo stilo confodit. Denique pacem te bellumque tueri, sepulcra effodere, cruces & loca infelicia frequentare, infamia dare spectacula, prostibula & luparum cellas rimari, foricas, trullas, matellas, cloacas, sterquilinia mouere non sine nauseâ passi sumus, & hactenus tacuimus. Sed iam cùm (Curio illi Velleiano similis) es ingeniosissimè nequam, & disertus malo publico, *diutiùs vt taceamus, quasi tu lupus nos prior videris, non est committendum.* Vlteriùs enim tacere, diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio, quia non minus periculi est, semper tacere, quàm nunquam. *Vellei. Paterc. lib. 2. de C. Curio Trib. pl.* *Hilar. in Psal. 133.*

Tua, Archidololatra Lipsi, idolomania mihi vtcunque indiserto os aperuit, vtcunq; debili strinxit stilum, ad veritatem, quamuis illa satis seipsam illustrat suo lumine, *defendendam, tuaq; profliganda commenta. Video enim permultis, iunioribus præsertim, non leue à te periculum ni obuiam eatur, imminere.* *Lact. instit. lib. 5. cap. 7.*

Quintil. instit. orat. lib. 1. c. 10.

Error (inquit M. Fabius) honestus est magnos duces sequentibus. *Perniciosa profecto sententia, siquis in religione iuxtà & in eloquentiâ aliisq; humanis disciplinis credat momentum habere; Quia* haud alius pronior fidei lapsus, quàm vbi falsæ rei, grauis auctor existit. *Et* obest plerunq: ijs, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui sese docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. *Quippe* incautè creduli circumueniuntur ab his, quos bonos putauerunt; nescientes inesse & incredibili verum, & verisimili mendacium. *Quare dolendum quidem, mirandum certè non est, te sectarium Lipsi multos sequentes greges videre, apud quos iamdiu magnus audiuisti. Sectam te facere multos ante annos iactabas: tunc in scriptione faciebas, & fecisti: nunc & in fide ne facias, est pertimescendũ.*

Plin. nat. hist. lib. 5. c. 1.
Cic. de nat. Deo. lib. 1.
Arnob. aduer. gentes lib. 8.

Quemadmodum lacunosam, salebrosamq; tuam scribendi rationem secuti sunt multi; iam etiam ne desultoriam tuam religionem ijdem, cumque ijs alij sequantur, non parum veremur. Vsque adeo nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris causa & auctor est; vt in strage hominum, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat. *Sed hic multo, quàm ille, est tolerabilior. Hunc necessitas, & ineuitabilis impressio secum in ruinam multos cogit trahere: Ille verò, vt dæmones,* solatium perditionis suæ perdendis hominibus operatur. *Tale tuum ingenium est Lipsi, cui animi gratiâ placuit in hominum perniciem aliquid commentari: & iam iterum* ne per otium torpescerent manus, *aut animus, ex solitâ*

Sen. de vita bea. c. 1.
Lact. instit. lib. 2. c. 15.
Salust. Catil.

solitâ malitiâ aliquid remitteret, impius esse voluisti, & impietati impietatem contabulare. Tolerabile *dixit Seneca* esse semel in anno insanire: *at tu perennare vis in insaniâ, & cum corporis animiq; imbecillitate, in nugis, delirÿs, impietate scribenda pugnare. tam te arcto* Aug. de ciu. Dei Lib. 6. c. 10.

— laqueo tenet ambitiosi Iuuen. Sat. 7.

Consuetudo mali,

tenetque (sicut & alios

— tenet insanabile multos) Ibidem.

Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit: *Qui labor tuus, quamdiu pietatem cultumq; diuinum non violauit, dicatur sanè fuisse (vt ait ille)* irrequieta inertia, desidiosa occupatio, iners negotium. *Iam cum temerat, impia est dementia, demens impietas. Sed quæ (malum!) furia ad hanc te idolomaniæ scholam aperiendam incitauit? Si te, cum Turannio illo, nec viuere iuuat, nisi occupatum nec mori, nec potes à morosa tua voluntate otium tibi impetrare, quamuis decrepita senectus iam depontano dedit: mauisne semper libros gignere, quàm genitos ornare, & fœtus fœdos lambere? Ipsi Mercurio (intellige quod dico) in profanis & impÿs sacris iungi solebat Fatua, nec ea immeritò iungatur tua Suadæ. Imò Exedrum tibi mente casso additum crediderim, qui te maximam facit insanire insaniam, in valle colleq; idola dicare, dicata colere, cultorum miracula mentiri, totumq; orbem Christianum ludere* Sen. de tranq. an. c. 12. & de bre. vitæ. c. 11. & 12. Vide Sen. de bre. vitæ c. 20.

— Facetis fabricis, & doctis dolis. Plaut. mil. act. 1.

Antiquus ille fallaciarum architectus, cor tuum mendacÿs cudendis aptam reperit incudem, custodi-

endis

endis pectus scrinium, linguam sonandis plectrum, postremo propagandis ministram manum.

Nec iam te primùm habuit satellitem; non in Hallensi Sichemiensiq; dolo, (dicam?) an idolo primùm expertus est, sed longo antè tempore, in votis ad Gentium dæmonia, in illis inuocandis atq; testandis, fraudibus docendis, peruertenda religione verâ, falsis nominandis atq; laudandis, veterum Romanorum religione sanctitateq; extollenda, te clarè cognouit. Quare antequam ligneam aut (vt cum Propheta loquar) stercoream tuam Deam ad causam dicendam accersam, de personata tua & superba modestia, vanitate, impietate non tam assumtâ quàm ingenitâ agere decreui. Tu interim Reiectiunculam aliquam meditare, & ex virulenti tui ingenij pixidibus in nos venena deprome, cùm veritatem nequis refellere: vt nuper in pium doctumq; quendam Batauum vomuisti, quem tibi placuit Sannionem, nebulonem, balathronem, impudentissimum impurissimumque tympanotribam *pro tua singulari modestia vocare: cui tu ipse*

Martial. non es dignus præstare matellam.

Penes illum est veritas, cuius fores tu nunquam pulsasti, nisi demoliendo. Ceterùm manifestiora sunt illa, quæ ex tuis scriptis in te protulit, quàm vt tu Reiectiuncularum fumo queas inuoluere. Apage bruta tua fulmina, & inania coruscamina, Res rationesq; veras petimus, non verba. Sed hæc dabis, illas nunquam à te expectabimus, quippe

A cuius ore pauida veritas fugit

vt à scopulo, verita naufragium, & ne mendaciorum tuorum fluctibus obruatur.

MODE-



MODESTIA LIPSI.



Scito non esse pacatius ingenium in Batauia vestra. Aduer. Dialog.

Modestia, modestia est, quam appeto, quam præfero, & quæ sæpe iam efferendum retinuit & repressit. In reiectiuncula (vt vocat) Sannionis Batavi.

Omnia mihi detrahi patiar, quàm hanc virtutem (MODESTIAM *dico*) *ingenitam non assumtam.* In Epist. ad Balthasarem Moret. in fine dispunctionis notarum codi. Mirandulani ad Tacitum.

THOMSONVS.

* *O lepidum senem, si, quas memorat virtutes, habeat.* * Plau. mili. glo.

Modestiam præfers Lipsi, quam suis coloribus, vt sparsa est in tuis libris, hîc depingam. Ea est tua Ταπεινοφροσύνη, vt te omni rerum generi, id est, ijs, quæ in aquis, in terra, in aere, in cœlis & supra cœlos sunt, compararis: quæ singula mecum licet recognoscas.

LIPSIVS.

Scopulus. *Vt Scopulus assilientes vndas sine motu vllo frangit: sic nos conuitiatores istos, sine acerbitate vllâ aut irâ.* Epist. ad Ordinante resp. ad Dialogistam.

In reiectiuncula.

Miser quid facis? Χύτρα καὶ πέτρα οὐ συμ-φωνεῖ. Olla & petra non congruunt. Petra.

THOMSONVS.

Polypus rectius dicêre Lipsi

Theogn.

ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇ προσομιλήσει τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη,
—qui cui petræ
Adhærebit, ei conspicitur similis.

Polypus colorem subinde mutat & saxi, cui adhæret, sumit.

LIPSIVS.

Cent. 1. epist. 77.

Sed de breuitate, eam ego amo, amabo: & si fieri possit, quid sentiam ostendere, quàm loqui mallem. Cygnus.

Paruus & est cygni melior canor, ille gruum quàm
Clangor in æthereis dispersus nubibus austri.

In reiectiuncula.

Quicquid obijcitis, bona Famæ aura hunc cygnũ leuabit, & à morte etiam canentē audietis.

THOMSONVS.

Ergo

Iuuen. sat. 13.

Te nunc delicias extra communia censes
Ponendum, quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ouis;

Quia tu Lipsi es albus olor? Sed quid exilitas cantus cygni ad breuitatem loquendi? non breuior est eius cantus, quia submissior. Deinde pro fabulâ habetur cantus cygni à morte: & nos tuum vaticinium pro fabulâ habemus. Nec altiùs te leuabit aura Famæ: stetisti aliquamdiu in arduo, sed descendis, imo ruis, & dat te superstitio præcipitem. Non expectamus tuum à morte cantum.

Mortua

Mortua cui vita'ſt propè iam viuo, atque videnti. Lucr.lib.3.

LIPSIVS.

Aurum. *Vt ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit: ſic iſtæ calumniæ vanum aut vacuum aliquem abſumunt, vera virtute grauem illuſtrant. Nos iÿ ſumus, cum Deo dicimus.* In Reiectiunculâ.

THOMSONVS.

Auri te inſtar eſſe iactas, ſed es aurum, vt ait Poëta, *venæ ſecundæ:* & te grauem dicis, *ſed appendit te Deus, & inuenit leuem:* quippe qui *vanarũ doctrinarum auris leuibus circumferaris*, nec ſola gratiâ nitaris, quâ eſt nitendum, ſed Diuæ tuæ ligneæ ope, vt in Hallenſi Aſpricollique idolo eſt paſſim videre. Iuue.ſat.9. Dan.5.27. Eph.4.14. Heb.13.9.

LIPSIVS.

Suber. *Preme, prome, ego cum Pindaro* ἀβάπτιστος εἶμι φελλὸς ὡς ὑπὲρ ἅλμα, *immerſabilis ſum, ſicut ſuber ſuper maris ſeptum.* Aduer. Dialogiſtam.

THOMSONVS.

Adde etiam, ſicut ſuber fluctuo, nunc tollor, nunc ſubſido cum vndis, inconſtans & leuiculus nuſquam ſto firmus, ſed

—Coro ſemper tollendus & Auſtro Iuuen.ſat.14.
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes. Hor.epiſt.lib.1.ep.1.

LIPSIVS.

Apes. *Nec aranearum ſanè textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt: nec noſter vilior, quia ex alienis libamus, vt apes.* Aduer. Dialogiſtam.

THOMSONVS

Iſocrat. ad Demonicum. Tu tam diſtas à natura apis, quàm illa ab araneæ, à veſpæ. Nam τὴν μέλιτταν ὁρῶμεν ἐφ' ἅπαντα τὰ βλαςήματα καθιζάνουσαν, ἀφ' ἑκάςου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσαν, *Omnibus floribus inſidere apem videmus, & à ſingulis vtilia delibare.* At tu veſpa fraudem omnem ex noxijs antiquorum herbis hauſtam, in tuorum politicorum capſulis depoſuiſti ijs ſugendam, quorum

Iuuen. ſat. 14. *nondum impleuere medullas*
Natiuæ mala nequitiæ:

Vide Polit. lib. 4. c. 13. & 14. vt inde robore attracto ad iuſtam Simulationis, Diſſimulationis, Corruptionis, Deceptionis, Perfidiæ, Iniuſtitiæ, omnis fraudis, iniquitatisque menſuram aſcenderent. Primas fraudes ſuades, medias toleras: & vbi iſta flagitia permittuntur,

quis
Iuuen. ſat. 13. *Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit*
Eiectum ſemel attritâ de fronte ruborem?

Epiſt. ad lect. ante. diſpunct. not. Mirand. cod. ad Tac. Oui te alicubi comparas, iacenti in meridie, ſed illud prætereo. *Ouis.*

LIPSIVS.

Multa ſunt in illis noſtris ἐνεργητικῶς *ſcripta, ad quæ vertenda tu non adſpiras*, aliter longè catuli olent, aliter ſues. *Catulus & Sus.*

THOMSONVS.

Plaut. Moſtella. act. 1. — *Quid tu vis fieri?*
Non omnes poſſunt olere vnguenta exotica
Si tu oles Lipſi,

Neque

Neque tam facetis, quàm tu viuis, victibus.

Aliter olent catuli, aliter ſues. eſto: vter vis tu eſſe Lipſi, ſus an catulus? ſis ſanè vterque, quia *Et rediiſti canis ad vomitum, & ſus ad volutabrum.* 2. Pet. 2. 22.

LIPSIVS.

Leo. *Quid enim accuratè in illum* [Batauum] *opus, quem ego infra meam iram exiſtimo: iram? etiam vires, & primis dentibus (ne inuidioſum ſit) leo leporem hunc frangam.* In reiectiuncula.

Semel oſtendam petulantes iſtos barbam vellere *languido, ſed non* mortuo leoni. In Epiſt. ad Balthaſ. Mor. in fine Diſpunct. not. Mirand. cod. ad Tac.

THOMSONVS.

Vitate ſultis miſeri hoc
triſte leonis
Seminium. Lucr.
Imminet vobis leo Lipſius
Aſper acerba tuens, Lucr. lib. 5.
— πλευράς τε καὶ ὤμους
οὐρῇ μαστιόων Heſiod. in ſcuto Herc.
— *coſtasq; flagellans*
Atque humeros caudâ
Ferus ipſe ſeſe adhortans rapidum incitat animum: Catull. de Berecynthia.
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.

Sed hæc dum venatores eum vident, animum contemtorem præferens. At in conſcientiæ receſſu vbi nemo illum videt, aduerſus nos, penes quos ſunt veritatis venabula & haſtilia, non audet quippiam,

am, ſed certamen detrectat, & fugit, vt leo cùm vallem obtinuit, aut montem ſibi obtendit, & ſe venatorum conſpectui ſubduxit.

LIPSIVS.

Cent. 1. epiſt. 59. *Elephantes aiunt, etſi amnibus impensè delectentur, haud temerè tamen eos ingredi, cùm inſcij ſunt natandi: idem in Theologia mihi, quam amo, quam æſtimo, & tingo eius ſalubribus aquis libens animum, non tamen mergo: quæſtionum enim vortices illos horreo, ijsq́; ne inuoluar, aſſideo, & obambulo ſaltem eius ripas, & hinc tamen haurio, & ex tuto ſumo, quæ ad vſum. Nam acumina aut diſſertatiunculæ quid iuuent? Quod ille de virtute cenſet, rem eam eſſe non verba: iuſtiùs ego de Theologia, cuius verum ſeriumque finem ſcio, Vitam. Vt melior, non vt doctior fiam, ſacra illa volumina tango, vt pectus inſtruam, non vt acuam mentem.* Elephas.

THOMSONVS.

Magnæ belluæ te comparaſti, Lipſi, Cuius actiones te valde exprimunt. Prima ſit illa quam tu affers, quod obambulet aquas, nec eas temerè ingrediatur, & tu Scripturas Ioan. 5. 39. (quas Chriſtus iuſſit *ſcrutari*, & à fundo noſſe) præterlabaris, & bibas vt canes in Ægypto, id eſt fugiendo. Hoc tamen eſt diſcrimen, quòd elephas non tantum neſciat, ſed & nequeat natare: tu autem nolis in his aquis natare diſcere aut ſcire.

Altera ab illa, quòd quemadmodum

Elephas bibiturus, aquam dicitur pede turbare, ne vastam deformemque corporis sui molem, & atrorem sibi ipsi terribilem videat: ita & tu Lipsi, siquando Theologiæ & Scripturæ sacræ fluuium adis, humanarum traditionum limo reddas turbidum, ne quàm turpi, fœdo, & deprauato es ingenio, vel tibi horrendo videas: satque habeas si limosâ aquâ sitim quouismodo extinguas.

Tertia, quòd proboscidem Elephas quoquouersum flectat, & reflectat, & lubricet, quemadmodum tu linguam & stilum habes ad omnia versatilem.

Quarta, quod Elephas, quantumuis vasta mole, venetur musculos, quemadmodum tu qui magnus audis, & nihil vis videri nisi magnum spirare, tamen vilissimas res sectaris, ita vt matellæ cloacæ & foricæ Romanorum non sint tibi intactę, quem Ægyptij non aliter quàm per Elephantis hieroglyphicum significarent. In admirandis.

Postremò, Elephas vbi cecidit, resurgere nequire dicitur: & tu lapsus es Lipsi, vix vnquam, opinor, resurrecturus.

Ab his ergo sapere discemus, quos à pecudibus, ac belluis, non sententia sed lingua discernit? Lact. instit. lib 3. c. 8.

LIPSIVS.

Magister moris probi.

Ego de me fateor Polit. lib. 4. c. 13.

Ego sum magister iuris & moris probi.

THOMSONVS.

Scilicet, qui Simulatione & Dissimulatione, Ibid. & seq.

tione, id est malitia & dolo malo, & Corruptione vti docuisti principes.

LIPSIVS.

In epist. ad Baltha. Moretum, vbi suprà.

Sum iuuenum, sum virorum, sum generis humani voce & stilo quidam pædagogus.

Pædagogus iuuenum, virorum, generis humani.

In reiectiuncula.

Et quid tamen ait noster balathro? primùm, me è Batauis discessisse. *Hoc fateor, & volui, & addam, debui: cur liberum mihi non esset?* Aluerunt te, *inquis. Quid? superuacuum, aut terræ onus? Ego professionem meam tredecim annorum illis imputo, & cum humanitate literas, & scientiam cum prudentia, sparsa in eorum iuuentutem. Adeste, quàm multi è disciplinâ mea etiam nunc fatemini? milleni, & exteros omitto.*

THOMSONVS.

Lactan. instit. lib. 3. cap. 17.

Democritus à Leucippo eruditus hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro, qui ipse tamen primus fuit, & eius hæres iam factus Lipsius, est secundus,

Lucr. lib. 3.

Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes
Restinxit stellas exortus vt æthereus Sol.

In reiectiunculâ.

Quid enim ille aliud sit, quàm Sol? *Abite,* inquit, *in vestras tenebras, quibus solum nomen* LIPSI *præscriptum leuiter vos extrahit, grauius mox deprimendos.* EGO AVTEM STO ET FVLGEO. Item:

Cap. vlt. Diuæ Hall.

Hanc DIVA PENNAM *interpretem mentis meæ*
Per alta spatia quæ volauit ætheris,

Et mox:

Variaq;

Variaq́; LVCE scripta prisci seculi
Affecit, & perfudit: hanc pennam tibi
Nunc DIVA meritò consecraui LIPSIVS.

Non fuit penna LipsI, sed ipse Lipsius, qui instar Solis luce affecit & perfudit scripta prisci seculi: ipse, inquam, Lipsius, qui iuuenum, virorum, generis humani est (si ipsi credis) quidam pædagogus, cuius tam

Ingenium velox, audacia perdita, sermo Iuuen. sat. 3.
Promtus:

Lector ergo — *ede quid illum* Ibidem.
Esse putes?
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes, Ibidem.
Augur, Schœnobates, medicus, magus: omnia nouit.

—τάτ' ἐόντα τάτ' ἐσσόμενα πρότ' ἐόντα

— *Quæ sunt, & erunt, quæq́; ante fuêre.*

Ergo. — *nonne decebit*
Hunc hominem numero diuûm dignarier esse? Lucr. lib. 5.

Ipse sanè se tali dignatur honore, cùm (vt infrà ostendam) se Palladi, Palladi, ipsis numinibus comparat.

Pædagogus est noster Lipsius generis humani, sed, qualis erat *Heraclides Temnites, qui discipulos dimidio redderet stultiores, quàm acceperat.* Cic. pro Flacco.

Certè Lipsius reddidit multos stultiores, nisi simulare, dissimulare, decipere, peierare, vim facere, seruire temporibus & religione

one vti vt nummo, qui est in vsu, sit sapere.

LIPSIVS.

De magni. Rom. lib. 3. cap. 9.

O hominem & verba mellea! non voluptatē meam te dicam, sed salutem. Perge sic iuuare:

Homo melleus, voluptas, Salus.

THOMSONVS.

Inquit Auditor LipsI Lipsio, id est, ipse sibi Lipsius. Porro quæ est ista salus? tabulas & signa dedicata ostendere. Illa est tua salus? Ego Lipsi,

Plaut. Truc. act 1.

Aegrotare malim, quàm esse tua salute sanior.

τὸ μὲν ὄνομα βίος, τὸ δὲ ἔργον θάνατος, dixit Heraclitus de arcu: id est, nomen est vita, opus verò mors. Ita tuum Lipsi ὄνομα σωτηρία, τὸ δὲ ἔργον ἀπώλεια, nomen est salus, opus perditio.

LIPSIVS.

Cent 1. epist. 15.

Molleri spicilegia edita. & mox: *iam stilus ille quis? Doctus, antiquus, arcanus, inquies. Scio. Sed quò tam doctus antiquus, arcanus?* EGO ILLE IPSE *qui aliquid hic capere me puto, & sapere, sæpe quæro, aut non video eius mentem.*

ὁ αὐτός ille ipse.

THOMSONVS.

Scholam Samiam omni æuo iam inde à Pythagorâ multi sunt admirati, quòd præceptori tantum tribuerint, vt pro quæstionum & dubiorum solutione, nil aliud soliti sint dicere, quàm IPSE dixit, intelligentes præceptorem. Sed tu Lipsi nouo more à te vocaris, ILLE IPSE, quod mirabuntur fortasse posteri, certè non laudabunt.

Mihi

LIPSIVS.

Solus sui iudex. *Mihi sententia de me, non nisi apud me fertur.* Cent. 1. epist. 77.

THOMSONVS.

Tibi tu vides, tibi tu sapis, tibi tu credis plurimũm.

Sed Lipsi

Vin' iam faciam, vt stuldiuidum te fatearis? Plaut mil. glor.

Audi scriptorem Christianum: *nemo potest de se rectè iudicare.* Lact. instit. lib. 3. c. 4.

LIPSIVS.

Cœlum. *Quid volueris nescio: quod non læseris, hoc scio, vt tela, quæ in cœlum emissa, ire eò videntur, non eunt: sic nos calumniæ tuæ petunt, non tangunt.* Aduer. Dialogistam.

THOMSONVS.

Te vt cœlum esse, Lipsi est falsum, nisi quo sensu boletus Agrippinæ

Senis tremulum— caput descendere iussit
In cœlum, id est ad orcum. Iuuen. sat. 6.

LIPSIVS.

Pallas. *Atque hæc primaria istorum ars, & velut professio est. & sicut simiæ nulli bono vsui, nisi vt saltent, morsicent, risum moueant: sic nostri isti agyrtæ. Ego, me componam?* ὗς πρὸς ἀθηναίαι ἔειν ἤειρε, *audacter dicam: nec linguam aut stilum maculo, talium contactu.* In reiectiuncula. Sus in Palladа certamen commouit.

THOMSONVS.

Ex Iouis cerebro nata est altera Pallas, ipsa sapientia, Iustus Lipsius,

Cuius ad effigiem non tantùm meiere fas est. Iuuen. Sat. 1.

LIPSIVS.

Cent. 1. epist. 54. *Quid censes? donis magnis capi me? non magis quàm numina (si fas comparare) quæ vt voluntatem solam in libationibus metiuntur: sic ego.* Numina, aut Deus.

THOMSONVS.

Si veris numinibus Deo Patri, Filio, Spiritui S. te Lipsi comparas: es impudenter blasphemus. Et qui vis *Altissimo similis esse, ad infernum detrahêris.* Si fictis: similem te facis dæmonijs. Esa. 14. 14. 15.

LIPSIVS.

De Constan. lib. 1. cap. 17. *Totum hoc anile agmen difflabo, vt folia ventus.* Ventus.

THOMSONVS.

Nulli rei melius, quàm vento te potuisti Lipsi comparare, leui, & inconstanti, & nunc hinc, nunc inde flanti. A nobis aliquando spirabas, nunc in nos flas. Abi Æole leuissime ad

Virg. Aen. 1. *—loca fœta furentibus Austris.*

Isocr. epist. vlt. Abi inquam homo nihili, qui te audes Numinibus comparare. οὐκ ἤμειψας τὴν φύσιν: ἔτι τὸν θύλακον ἔχεις δερμάτινον, θνητὴν γὰρ ἔχεις ἐκ προοιμίου τὴν σύστασιν. τί δῆτα τὸ κενὸν τοῦτο δοξάριον ἐπὶ τοσοῦτον τὸν πήλινον ἀσκὸν διεφύσησε; μεγάλης ἀνοίας ἐνεφορήθης ὦ Λυσῆνε, καὶ τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφήρησαι. Non mutasti naturam: adhuc pelliceo sacco amictus es. Nam natiuitatis tuæ primordium mortale fuit. Cur igitur inanis ista gloriola fictilem vtrem inflauit? Ingenti amentia impletus es ô infelix, & naturæ fragilis cognitione spoliatus.

A ΛΑΖΩΝ.

MILES GLORIOSVS.

puer militi,

—Salue vir lepidissime
Cumulate commoditate præter ceteros
Duo Dî quem curant.
Mil. Nescio tun' ex me hoc audieris an non: nepos sum Veneris.

Mil.

Quemne ego seruaui in campis Gurgustidonijs,
Vbi Bombamachides Cluninstaridysarchides
Erat Imperator summus, Neptuni nepos?

& rursus

Vbi tu es? Ar. Eccum Edepol, vel elephanto in India,
Quo pacto pugno perfregisti brachium?
Mil. Quid brachium? Ar. illud dicere volui femur.
Mil. At indiligenter hic eram. Ar. Pol siquidem
Connixus esses, per corium, per viscera,
Perque os elephanto brachium transmitteres.

LIPSIVS.

Sint alij qui incurrant, qui scribant,

Dis pietas mea
Et musa cordi est.



Quis dubitet quin Lipsius sit, quod aiunt, PVLLVS IOVIS?

In epist. ad Lect. ante dispunct. not. cod. Mirand ad Tacitum.

Quid enim accuratè in illum opus, quem ego infra iram meam existimo, iram? etiam vires, & primis dentibus (ne inuidiosum sit) leo leporem hunc frangam.

In reiectiuncula adiecta idolo Aspricolli.

LIPSIVS.	MILES GLORIOSVS.
Spem feci reditus, fateor: sed spem, non promissum: & cùm in Spadanis aquis fui statim ad eos super mente, aut decreto meo scri-	*Vt amari videor!* *Nimia est miseria pulcrum esse hominem nimis.* *Ar. Molestæ sunt mihi, orant, ambiunt, obsecrant,* *Videre vt liceat: ad sese accersi iubent.*

Ibidem.

psi, non mutando, etsi illi AVREOS MONTES, (fatendum est, & benignitati habeo gratiam) offerrent.

Ibidem.

Humanitas & comitas inuisentium atq; etiam inuitantium, non defuit, agnosco:

Physiologiæ Stoicorum lib. 3. dissertatione. 1.

Manè surrexi? Ecce litteræ, responde. Feci, ad alia me verto: puer, est nobilis vir aut adolescens è Gallia, Germania, Sarmatia: vult salutatum. Ille autem, & illi, libellis suis Amicitiæ symbolū inscriptum. Vix suspiraui, En è Belgis meis aliquem. Heus carmen aut libellū scripsi, lege. Quid etiam? cense & emenda. Quid amplius? carmen aut elogium præscribe. Absolutum me censeo, alius: Mihi aut fratri, patri, amico, epitaphium: domui aut arci, aræ inscriptionem. Quid studiosos iuuenes & tui similes dicam? Scis quàm ijs pateam, audire, respondere, dirigere, & in via ponere, quam rectam censeo. Huius vnius operæ minimè inter omnes me pœnitet: &, quid interest voce an scriptione iuuem: nisi quòd hæc ad plures fortasse venit? Sed illa si ad pauciores efficaciùs & fructuosiùs fortasse venit, Hęc ferè vita mea est.

Plato

MILES GLORIOSVS.

Pal. Meri bellatores gignuntur quas hic prægnantes facit,
Et pueri annos octingentos viuunt.
Mil. Quin mille annorum perpetuò vivunt ab seculo ad seculum.

Mil. Ecquid meministi? Ar. memini centum in Ciliciâ,
Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, Sexaginta Macedones
Sunt homines, tu quos occidisti vno die.
Mil. Quanta isthæc hominum summa est? Ar. septem milia.

LIPSIVS.

De consilio & forma operis politici.

Plato pleraque scriptorum cum Adonijs hortis comparabat, qui subitò & die vno nati, celerrimè pereunt: Spero haud id eueniet huic nostro, quod laboriosè satum, vires magis à tempore capiet, & Poetæ verbis,
Crescet occulto velut arbor æuo.

*Cap. vlt. Diua Hallensis.

* Hanc Diua pennam interpretem mentis meæ
Per alta spatia quæ volauit ætheris
Per ima quæ volauit & terræ & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata semper. Ausa quæ CONSTANTIAM
Describere, & vulgare, quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA, atque POLIORCETICA,

Quæ

LIPSIVS.

Quæ Roma MAGNITVDINEM adstruxit tuam.
Variaque luce scripta prisci seculi
Affecit, & perfudit: hanc PENNAM tibi
Nunc DIVA meritò consecraui LIPSIVS.

MILES GLORIOSVS.

Mil. Tantum esse oportet: rectè rationem tenes.

— gloriosus impudens
Is deridiculu'st, quaquà incedit omnibus.
Periuriorem hoc homine si quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic est,
Me sibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.



Aduersus

IVSTI LIPSI

Politicorum

Libri primi caput tertium

De Religione.



E cultu insequor, qui non aliud, quàm cogniti numinis veneratio, certis legibus ceremonijsq; deuincta, coli enim postulat, & huic fini homo natus: idque cultu duplici, interno, externo. Ille qui in animo, & ex animo Deo vero preces concipit, laudes, grates. Iste, qui hæc eadem per ritus & gestus exprimit. Totum illud, nec malè, religionem vulgo appellamus. Polit. lib. 1. c. 3.

THOMSONVS.

Maris instar inquieti sunt omnes impij, ait Propheta. Illud algam, & quidquid sordium in sinu habet, agitans, & agitatum ad littus voluit: Hi se vexant & alios, nec suum dedecus cessant prodere, *quos non minùs dedecus suum, quàm honestos egregia delectant:* verumtamen, ὧν δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν: *quorum gloria in ignominia ipsorum.* Prodi, Lipsi, & te in his esse doce. Ciuilis tua doctrina mirum in modum te extulit, nec tu mediocriter illam admiraris: etiam propheta creturam vaticinaris, *occulto velut arbor æuo.* Epistolas tuas expressam animi tui imaginem

Es. 57. 20.

Senec. de vita bea. c. 8.

Pilipp. 3. 19.

De consilio & forma operis sui politici.

ginem

ginem iubes censeri. Illa tamen, & illæ, & alia tua scripta te nobis produnt impium, dum pius, & pietatis doctor cupis videri. Cultus (inquis) est cogniti numinis veneratio. An veri? veri, ais: quia vero Deo preces concipit. Aut ergo tu ludis in precibus & votis ad Venerem: aut Venus est tibi verus Deus, aut, si mauis, vera Dea: aut denique, cùm illi preces fudisti, tibi fuit Numen cognitum, nimirum solum. Recognosce mecum, ni tædet, tuum votum

Ad stellam Venerem pro horto.

Cent. 1. epist. 27.

ALma Venus, quæ cœlorum colis ardua templa,
Quæ maria, ac terras vitali semine comples,
Qua sine nec flores hortos, nec gramina campos
Vestierint, neque frugiferas animalia terras,
Queue solum pedibus sulcant, queue aëra pennis.
Tu DEA, *tu fautrix hortorum in cultibus esto,*
Aspiresq; meo numen genitale labori.
Nam sine te nil Flora potest, nil flaua Segestis,
Nodutisq; herbæ pubenti optabile numen.
Pelle malum virus à floribus, imbricitorq;
Ne noceat Aquilo, nec grando, neu robigo
Effice, DIVA POTES. *Solis Lunæq; potestas*
Te superâ: sed consensu tua tertia regna,
Nec tibi Mercurius certauerit, aut tibi Mauors:
Ipse tuo fasces submittit Iupiter igni.
Intereà dum nos fera mœnera militiaï
Exercent; lituiq; vocant ad ciuica bella:
(Patria da veniam) Hauteni securus in hortis
Ipse habitem, fallatq; meos cultura labores.
Non ego Bellonæ sim victima, non ego Marti
Miles, nascentiq; alius mihi risit Apollo.
Sat patriæ Belgisq; datum, si fama Camœnæ
Nostræ erit, atq; aliquis venienti Lipsius æuo.

Hoc Lipsi est tuum votum, religiosum quidem illud, & ad Lucretij exemplar conceptum. Cuius placuit ad eandem Venerem votum cum tuo παραλλήλως obiter componere.

Lucr. lib. 1.

Aeneadum genitrix, hominum diuûmq; voluptas
Alma Venus cœli subter labentia signa,

Qua

Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitq; exortum lumina Solis.
Te DEA, *te fugiunt venti, te nubila cœli,*
Aduentumque tuum: tibi suaues dædala tellus
Summittit flores: tibi rident æquora ponti,
Placatumq; nitet diffuso lumine cœlum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Fauonî
Aëriæ primùm volucres, te Diua tuumque
Significant initum perculsæ corda tuâ vi.
Inde feræ pecudes, persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amnes: ita capta lepôre
Illecebrisq; tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupidè quò quamque inducere pergis.
Denique per maria ac montes, camposq; virentes
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis vt cupidè generatim sæcla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas:
Nec sine te quicquam dîas in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, nec amabile quicquam:
Te sociam studeo scribundis versibus esse.
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadæ nostro, quem tu Dea tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus:
Quo magis æternum da dictis diua lepôrem.
Effice vt intereà fera mœnera militiaï
Per maria ac terras omnes sopita quiescant:
Nam tu sola potes tranquilla pace iuuare
Mortales.

Tuum illiusque votum est ad Venerem: à paribus in cœlo, solo, salo effectis vterque laudatis: à potentia (vt Scholastici loquuntur) exclusiua. Ille apertè & simul:

Nam tu sola potes.

Tu tacitè & per partes:

— Diua potes. &

Nec tibi Mercurius certauerit, aut tibi Mauors:
Ipse tuo fasces submittit Iupiter igni.

Ambo pacem precamini: Ille publicam:

Effice, vt interea fera mœnera militiaï

Per maria ac terras omnes sopita quiescant.

Tu priuatam:

Interea dum nos fera mœnera militiai
Exercent, lituique vocant ad ciuica bella,
— Hauteni securus in hortis
Ipse habitem, fallatq; meos cultura labores.

Vterque vultis adiutricem in carmine: ille apertè:

Te sociam studeo scribundis versibus esse.

Tu inuolutè & obliquè:

Sat patriæ Belgisq; datum, si fama Camœna
Nostræ erit.

Petit ille causam famæ:

Quo magis æternum dictis da Diua lepôrem.

Tu effectum causæ, *famam Camœnæ*:

Ille vult *æternum lepôrem.*

Tu vis esse *aliquis venienti æuo.*

Venus Dea est vtrique. Ille sic affatur:

Te DEA, *te fugiunt venti:*

Tu ita:

Tu DEA *tu fautrix hortorum.*

Emphaticῶς ille [*te*] : tu Lipsi [*tu*] geminasti.

Vtriusque Versus inter se comparauimus : nunc quid commune ipsi habetis, videamus.

Ille directorem habuit Epicurum, quē mirificè extollit.

Lucr. lib. 1. *Primùm* (inquit) *Graius homo mortales tollere contra*
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Et mox:

Ergo viuida vis animi peruicit, & extra
Processit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immensum peragrauit mente, animoque.
Vnde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat: finita potestas denique cuique
Quanam sit ratione, atque altè terminus hærens.
Quare religio pedibus subiecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

De Constant. lib. 1. cap. 1. Tu tuum Langium: *Ille* (inquis) *ille fuit vir, qui oculos mihi aperiret, detersa vulgarium aliquot opinionum nube: illa qui viam ostenderet, quâ, sine ambage peruenirem, vt cum Lucretio loquar* (cum quo & sentis) ad illa

Lucr. lib. 2. *Edita doctrinâ sapientum templa serena.*

Rursus:

Rursus: quemadmodum Epicurum, quia metum Dei sustulit, Lucretius eum fuisse ait

Qui genus humanum ingenio superauit, Lucr. lib. 3.

Ita tibi Langius, quia religionem è tua mente (si tamen vlla in ea vnquam fuit) deleuit,

Absoluitque Deum; Claudian. cont. Ruffin.

est *optimus doctissimusq; Belgarum.* De Constant. lib. 1. c. 1.

Sed quales erant isti sapientes, ad quorum templa te dicis Langium perduxisse? Sanè quales erant illi ipsi sapientes, quos Lucretianus ille versus intelligit:

Insanientis gens *sapientiæ* Horat. carm. lib. 1. od 34.
Addicta mentem erroribus impijs. Buch. Psal. 19.

& planiùs:

— *Epicuri de grege porci.* Horat. epist. lib. 1. epist. 4.

Hi sunt illi à quibus tu doctior redis, sed impiè. Hi sunt, præ quorum præceptis sacra Theologorum monimenta tibi sordent. At audio te reponere: *Theologiam te amare, æstimare, libentemque tingere salubribus eius aquis animum.* Et eo nomine plurima tibi debetur gratia, quòd tanti vir ingenij illam aspicere digneris. *Sed quid sibi vult ista, sed planè mimica varietas* (Deos & Philosophos Augustini verba muto) *Deum secundum Theologos in libris quærere; secundum Poëtas,* si non *in templis,* at in musæo tuo *adorare,* & carminibus non tam celebrare dico, quàm dehonestare, si dehonestari posset? At *scripsi,* dices, *nihil dixi, lingua, non littera occidit. Hic ego tuam naturam & conscientiam aduoco.* Quid scripsit tua manus, quod non animus dictauit? Anguis sis quantumuis lubricus, non effugies, nec præstabis, quin aut impium te, & sacrilegum, cum ea scripsisti carmina, fuisse fatearis, si eadem tibi fuit mens, quæ manus: aut vanum stultumque, si animi tantum gratiâ verbo colere voluisti Venerem, cuius *vanitas Poëtica stellam non fixit, sed finxit in cælo.*

Cent. 1. epist. 59.

August. de consens. Euang. c. 23.

Tertul. de Idololat.

August. vbi sup.

Sed quid facies Lipsi, vbi te ex animo ista dæmonia colere fateris? *Clamo,* inquis, *ex animo hoc vetus:*

Α'γὲ δὲ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σὺ γ' ἡ πεπρωμένη Cent. 1. epist. 100.
Tu Iupiter me ducito & fatalitas.

Hoc pacto clamare est precari, est concipere preces, id est verè colere, vel te id docente. *Ille,* enim inquis, id est cultus internus, *est qui in animo, & ex animo vero Deo* Polit. lib. 1. c. 3.

preces concipit, laudes, grates. Iste, id est externus, *qui hæc eadem per ritus & gestus expromit.* Atqui tu in-Iuste Lipsi Ioui concipis preces ex animo, & clamas. Vel igitur contra mentem is, id est mentiris, cùm te dicis ex animo clamare, aut Iouem id est dæmonium colis pro Deo. Sed subolet mihi quomodo hanc plagam exire tentabis, quo fuco es hanc idolomaniam oblitur us. Adferes paucula è præcedentibus, vnde te vero Deo fundere preces probare nitêris: Ea hæc sunt. *Solus ille æternus æthereusque oculus est, qui hos euentus cernit, & dirigit sæpe præter omnium mentem. Illi ego hæc & me permitto, & clamo ex animo hoc vetus*

Ἀγοῦ δὲ μ' ὦ Ζεῦ &c.

Hic tu aut inuocas verum Deum, aut dæmonium: Si dæmonium: abi ad illud, &

Virgil. Æn. 6.

procul o procul esto profane.

Psal. 96. ver. 5,

Tertull. de Idolola.

Si Deum sub nomine Iouis, id est dæmonij (nam *omnes dij gentium dæmonia*) inuocas: quid ego de te dicam homo impurissime? Si *cecidit in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit*: nonne & tu in eam cecidisti, qui Deum Idoli nomine dedecorasti? Pereant omnes

Iuuen. sat. 3,

qui nigra in candida vertunt,

Qui Deum ore professi, nihilominus animo, ore, manu dæmonia colunt. Tu nimis apertè facis: qui non semel ea inuocasti. Hactenus Venerem, hactenus Iouem te precatum ostendimus: alibi Deos viales & alios precaris:

Cent. 1. epist. 86. De Constant. lib. 1 cap. 1.

Di Viales adeste, Dî Præstites, Di Tutelares. Alibi Genium patriæ: *Ignoscat* inquis, *mihi patriæ Genius*: Alibi communes Deos & Deas: *Ea per communes Deos Deasque obliteremus mi amice.* Quid quod Neptunum Diuum vocas?

Cent. 1. epist. 53. De Const. lib. 1. cap. 16. Rom. 2. 21.

Cærulus ille Diuus nouos sibi sinus aperit: Tu Lipsi doctor es religionis & cultus diuini, & hæc peccas? *ὁ διδάσκων ἕτερον σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; docens alios teipsum non doces?* Tu vero Deo doces concipere preces, & ipse falsorum Deorum genua inceras?

Ibid. vers. 22.

ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς; qui abominaris idola, sacrilegium facis? Tu qui Bembum, quod Deos immortales nominarit, acerbè reprehendis, Deos Deasque inuocas in genere: *Viales, Præstites, Tutelares,* in specie: & per indiuidua *Iouem Venerem, Genium patriæ?* Tibi permisisti, quod illi

minime

minimè sibi permittendum putabas? *Adeò familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere.* Id verò *est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum.*

Velleius Paterc. lib. 2.

Tusc. 2.

Nec possum satis mirari vos criticos: *Papulas obseruatis alienas, ipsi obsiti plurimis vlceribus.* Te imprimis stupeo

Sen. de vita beata c. 27.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut Aquila aut serpens Epidaurius.

Horat. serm lib. 1. sat 3.

Etenim tu qui alios homines *pepone insulsiores* vocas, non ita debes esse insulsus, vt euenire non posse putes

— Inquirant vitia vt tua rursus & illi.

Lib. qui est aduersus Dialogistam.

Hor. ibid.

Nec te ita insulsum puto: sed alius est tuus morbus, οἴησις *opinio*, & ὑπερηφανία *elatio & superbia*, qua tibi nimium blandiris, neminemque aduersus te vel hiscere ausurum promittis; quia tu scilicet es ad maledicendum disertus, quia Lipsius *fœnum habet in cornu.* Hem, quàm verum illud Poëtæ!

Hor. serm. lib. 1. sat. 4.

Iuuen. sat. 13.

multi
Committunt eadem diuerso crimina fato:
Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.

Bembus, quià Deos nominat, Lipsio vapulat: Lipsius hanc culpam indulget sibi. Sed hic postico nos falles Lipsi, nisi diligenter te obseruemus. Illa vota, illas preces, illam Deorum Dearumq; inuocationem à Lipsio sene in Lipsium iuuenem transferes, sicut aduersus Dialogistam scribens fecisti. *Age*, inquis, *excute omnia postrema mea scripta*: (iuuenilia non excuso) *an* Deos *inuenies à me nominatos? nescio: si erunt, iam nunc rescribo, & deleo.* Honestam acciperem reiectionem, ingenuamq; confessionem, deque tua pollicitatione benè sperarem, nisi vltima tua scriptio Deos Deasque admirabundè appellaret. Vltima est, quam nos vidimus, *Reiectiuncula Bataui* addita Diuæ Aspricolli: in qua hæc habes: *Quid deinde etiam? In Eburones veni, & illic rem meam feci. Dij Deæque! obolum nemo est in Eburonum terra, qui tunc mihi dederit.* Adeò insedêre animo tuo Dij!

Aduersus Dialogistam.

Lips. in Reiect. san. addita Diuæ Aspricolli.

Leuior est ista Dialogistæ accusatio, quamquam & habet suum momentũ. Reprehendit ille quod toties in Politicis tuis Deos nominâris: cui quia bifariam, sed vtrobique absurdè respondisti, nec es mihi illic præter-

eundus. Primò ergo respondes te non posse gentilium libros refingere : ἀἰτησις τῷ ζηλευμένω. Quasi verò non ob id maximè reprehendantur tui libri, quòd ex gentilium pannis consarcinati sunt. In quibus Deus rarò, sed Di vbique ferè leguntur, nisi fortè intelligatur vnus aliquis aut è patricijs aut è plebe Deorum, de quo erit authori sermo. Itane verò miserè nobiscum agitur, vt politia non possit institui Christiana, nisi haustâ è putidis gentilium lacunis aquâ cœnosa, tetramque exhalante mephitim? potui, dices, sed non erat consilium. Si ergo voluisti ex gentilium libris doctrinam haurire ciuilem, aut potuisti sine illis maculis, & turpiter fecisti cum errore, quod potuisses cum laude; aut non potuisti, nec propterea debebas id stultè aggredi, quod non poteras sine culpa perficere. Deinde sacrarum Scripturarum velum ad turpitudinem vestram tegendam arripis: & te ostensurum ais in *Sacris libris Deos*. Primò vellem libenter scire, an quidquid licuit Dei Prophetis, id etiam tibi absque Deo viuenti putes licere? Quemadmodum *non omnibus eadem cupienda* esse olim dixit Metellus Mario: ita nec ego omnibus omnia audenda puto. Deinde, si veterem literaturam amas, vt præ te fers, audi hac de re Tertulliani præscriptionem: *Quòd si* DEOS *dicendum erit, adijciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego Deos dico, nam & Scriptura Deos nominat, sed adijcit* [suos] *vel* [nationum.] Quod si aliquando secus fit, Dij figuratè pro potestatibus aut regib. ponuntur. At tu vbiq; nullo discrimine, Deos tuos proseminas: eorum thensas circumuectas: statuis, verborum (vt ita dicam) strupos imponis: inani numini votorum adoles suffitum. Quare apage & procul esto cum omnibus, *quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.*

Aduers. Dialogistam.

Sallust. Iugurth.

Tertull. de Idololat.

Psal. 144. 8.

LIPSIVS.

Magnum eius [religionis] *in animos imperium.* Religione omnes mouentur, & Deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur.

Cic. 5. in Verrem.

Itaque qualiscunque ea hausta ægrè educitur, quoniam sua cuique optima videtur, vt quæ non ratione, sed affectu dijudicetur à singulis.

Philo. Iud. ad Caium.

Hæc publicè & priuatim habenda. Omnia *enim* prospera euenjunt colentibus Deos, aduersa spernentibus. ( ) Lip. lib. 5.

Sed habenda cum modo: ne fiat illud, Gens superstitioni obnoxia, religionibus aduersa. Tacit. 5. hist.

THOMSONVS.

Memineris Lipsi te suprà *religionem* definiuisse, *venerationem numinis cogniti, certis legibus ceremoniisque deuinctam:* cum [*numinis*] dixisti, intellexisse [*veri*] quia diuiso cultu in internum & externum, vtrumque vero Deo dedisti. Iam ergo nisi vis Sophista esse, *magnum Veræ religionis in animos imperium* intelligis, & nos fatemur. Sed quod id Ciceronis testimonio confirmas, est insipidum. Quid enim Dijs cum Deo, Religioni cum Idolomania, superstitioni gentilium cum cultu, quem ipse præscripsit Deus? At si superstitionis, & idololatriæ, denique qualiscunq; religionis tantum est in animos imperium: quantum erit veræ? perinde quasi dicas, terram multo magis sata nutrituram, quàm quas sponte parit cicutas aut aconita. Non nego religionis veræ magnum esse imperium, non nego esse falsæ: sed nego propterea esse veræ, quia est falsæ. Quod si non veræ tantum, sed religionis in genere vim probare fuit tuum consilium: non debebas à solis superstitiosis quærere argumenta, sed à pijs etiam & verè religiosis, à sacris scriptoribus. Hoc opinor quiuis sanæ mentis, quem non possidet præiudicata opinio, mecum censebit.

Qualiscunque ea hausta ægrè educitur] At quid si inepta, falsa, impia? An principi non est educenda, aut certè strenuè, vt educatur, nitendum? Non: addis enim, *Hæc publicè & priuatim habenda*] Hæc? quæ? qualiscunque; alioquin dicendum fuisset; Non qualiscunque cultus (licet semel haustus, ægrè educatur) habendus est: (*Nec enim superstitione tollenda tollitur religio:*) Sed verus ille veri Dei asserendus stabiliendusque publicè & priuatim. Cic. de Diuin. lib. 2.

Omnia enim prospera eueniunt colentibus Deos:]

Falsum: quis docebit? Lipsius: qui ait Lactantium asserere, *ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescere, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt, contra quàm fas est, impiæ religiones,* quod & secundum Scripturas docet Lactantius: Iam rogo, Lips. in notis ad 1. polit c. 3. Lact. instit. lib. 5. c. 8. Deut. 9. 5.

quæ

quæ erant, quæ sunt impiæ illæ religiones? quæ docebant non vnum Deum, sed Deos colere: & vestra, quæ non vnum Deum mundi effectorem gubernatoremque vult coli, sed pro illo popanum, & furfuream ostam, & cum Deo Angelos, Diuos, id est animas defunctorum hac vita hominum, imo illarum animarum, vt ita dicam, exuuias, corpora mortua, ossa, cineres, ipsarumque exuuias exuuiarum tunicas, zonas, subuculas, soccos, calceos, & abiectissimas fascias. Vestra ergo, vestra est religio, imo superstitio, quæ tantas turbas hodie concitat in nostro orbe. *Sed habenda cum modo.*]

Tacit. 5. hist.

Quæ est illa religio quæ habenda est cum modo? aut hæc qualiscunque, aut illa vera. At illa qualiscunque dispereat nisi sit vera. Sin vera est, tunc vereris ne aliquis supra modum habiturus sit? Et tu quem modum vis præscribere in alieno regno? Modum præscripsit ipse Deus, & fines,

Horat. serm. lib. 1. sat. 1.

Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Quantum vellet, quantum nollet, ipse docuit. Sed videamus rationes.

Ne fiat illud, Gens superstitioni obnoxia, religionibus aduersa.]

Si falsam religionem intelligis, nimis absurdè loqueris. Tantundem enim est ac si diceres, Superstitionem habendam cum modo, ne gens sit superstitioni obnoxia; cum contrà, nullo modo superstitio sit habenda, ne, si habeatur vel tantillum, deinceps, gentem superstitioni penitus reddat obnoxiam. Idcirco cum Cicero intelligeret *falsa esse* quæ *homines adorarent*, licet verum cultum non videret, *Superstitionis* dixit *omnes stirpes elidendas esse. Instat enim & vrget: quocunque te verteris, persequitur.* Et quemadmodum olim *fusa per gentes oppressit omnium ferè animos, atque hominum imbecillitatem occupauit:* non est dubitandum, quin & nunc, si nos admittamus, quemadmodum vos hactenus oppressit, & nos sit oppressura.

Lact. instit. lib. 2. c. 3.
Cic. de diuinat. lib. 2.
Ibidem.

Altera ratio cur superstitionem vis cum modo haberi est, ne gens sit
religionibus aduersa] quasi vlla fuerit, sit aut futura sit religio, quæ non alijs fuerit, sit, & futura sit aduersa.

Accipe

Accipe ait Poeta, *nostro* — Iuuen. Sat. 15.
Dira quod exemplum feritas produxerit æuo
Inter finitimos dira atque antiqua simultas:
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus:
Ardet adhuc Combos & Tentyra. Summus vtrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit vterque locus, cùm solos credit habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Illic crocodylus, hîc accipiter colebatur. Hinc inter vrbium illarum ciues
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors. — Horat. serm. lib. 1. sat. 7.

Vide Iudæos & Samaritanos, inter quos propter religionis discrimen, nullum erat commercium. (Ioh. 4. 9.) Nonne nos vobiscum *Mahumetanos* odimus, & omnes hostes Trinitatis? An vos tamen propterea vos religionibus aduersos putatis quia illorum religionibus estis aduersi? non putatis, neque nos eo nomine vos religionibus aduersos dicimus. Nonne vos omnem præter vestram religionem auersamini? Nec tamen eo nomine vultis religionib. aduersi audire. Sed quia hîc gentem nolle religionibus aduersam, & alibi vnam velle in vno regno religionem, aliquid contrarietatis habere videntur, (Aduersus Dialogistam.) altius mihi effodienda est hæc vena. Quicunque vult vnam religionem, proculdubio aut is non vult alias, aut si vult, reuera nullam vult. Rursus qui non vult Gentem aduersam religionibus, is vult eam fauere ijs, & amplecti, aut eas pati sibi imponi: qui hoc vult, non vult vnam religionem: itaque non video quomodo te Lipsi excusabis, quin ὑπεναντίον admiseris: qui & vis vnam in vno regno religionem, & tamen gentem non vis religionibus aduersam, sed pronam ad eas amplectendas. Quid ergo sibi volunt illa verba, *habenda cum modo, ne fiat illud,* Gens superstitioni obnoxia religionibus aduersa, quasi iam dicas, (opinor:) Etsi simul in v-
" no regno vnam volo religionem teneri, ita tamen
" teneri nolo mordicus, quin Gentem illius regni æ-
" quo animo alteri superuenienti religioni velim cede-
" re, & vt Syrtium Leptitanarum *facies simul cum ventis* — Sallust. Iugurtha.
" *mutatur*; ita religionem cum tempore & rege muta- — Eph. 4. 14.
" re, & (quidquid dicat Paulus) quauis doctrinæ aurâ — Heb. 13. 9.
leuiter

leuiter circumferri, & illud Phocyllidis

Phocyll. νουθετικῷ.

Καιρῷ δουλεύειν μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι
Temporibus serui nec contra flamina flato.

inprimis meminisse. Is enim mihi

Iuuen. sat. 3.

—melior, qui semper & omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum:

Differta. de Idolo Hallensi.

Is sapiens erit, & pro mea mente religiosus, qui me imitabitur, qui dum *Ienæ* essem, testatus sum apud Tilemannum Heshusium me religionem Lutheranam vnam tanquam sinceram profiteri; sed vbi transij in alia castra, Romanam illam, antiquam, germanam, vnicam veram assero & propugno

Virgil. Georg. 3.

Non secus ac patrijs acer Romanus in armis,

Et sicut

Horat. epist. lib 1. epist. 17.

Omnis Aristippum decuit color & status & res,

ita semper saxi, cui adhæsi, accepi colorem; & iam cum his, inter quos ago, orbem è polline pro Deo colo, veneror imagines, quisquilias & assulas quercus, in qua fixa fuit imago B. Virginis: & anathemata diuorum tholis affigo. Hæc nisi mecum plebs aut gens quæuis faciat, fuerit licet instar Iudæorum, qui populus erant Dei, & illum vnum colebant, audiet (vt Iudæi) *gens superstitioni obnoxia, religionibus aduersa, apud quos fides obstinata, misericordia in promtu, qui mente sola, vnumque Numen intelligunt, & profanos, qui Deûm imagines in species hominum effingunt, habent.* Habeatur ergo (vt iam dixi) qualiscunque religio cum modo, imò vera, quam duæ tabulæ præcipiunt, non solùm ne fiat illud, *gens superstitioni obnoxia, religionibus aduersa* sed etiam, ne dicatur & illud

Tacit. 5. hist. omnia hæc de Iudæis.

Iuuen. sat. 14.

Nil præter nubes & cæli numen adorant.

Hæc tua Lipsi, religio est politica: vnam vis esse in vno regno, eamq; probam, sed ea quæ sit, non vis definire, ne tibi non sit locus in posterũ mutandi. Hęc tua est religio nolle gentem aduersam esse religionibus. Sed quid ni aduersetur, si nouit se veram habere? *Theodosius maior euersa Eugenij tyrannide Romam venit, & contemtum religionum in animis omnium excitauit, publicum sumtum* (quo facilius quasi sua sponte religiones pessum irent) *abnuens.* Hæc tu non ignoras Lipsi, quippe qui in tuo de Vesta

Aduersus Dialogistam.

Zosimus. lib. 5.

Lip. in Syntag. de vesta & vestalibus. c. 14.

&

& Vestalibus syntagmate ipse recites. Nonne qui contemtum religionum in animis omnium excitauit, voluit omnes religionibus aduersos? voluit. Quid ergo tibi videtur? Fuitne ille propterea superstitiosus, quia vnam religionem veram voluit, cæteras auersatus? Quidquid sentis, non audes superstitiosum vocare. Si ille non fuit, nec etiam plebs fuit, in cuius animo religionum contemtum excitauit, cui, vt religionibus aduersa foret, suadebat. Si non iam plebs superstitiosa fuit, quia religionibus aduersa vnum colebat Deum: quid si ante Imperatoris suasionem idem fuisset animus plebi? An tum superstitiosa fuisset? caue dicas: Non enim Imperatoris tanta fuit potestas, vt id non-superstitionem facere posset, quod esset superstitio. Quia quocunque iubente vitium non potest virtutem induere, nec vitium esse desinere, quod vitium est. Potest ergo, addo, & debet gens religionibus aduersari. Iussit ipse Deus Israëlitas, cùm in terram Cananæorum venirent, eorum aras subuertere, confringere statuas, lucosque succidere, & sculptilia comburere. Et nos lege iubente, impijs superstitionibus non aduersabimur? Sed nimis iam diu in hoc tuæ superstitionis mari agitatus sum: superstitionis dico, quia de religione præcepta qui videbare daturus, superstitionem & Idololatriam docuisti. Vt meritò illud Plauti in te possit torqueri:

Hinc stas, illinc causam dicis. Plaut. Menæch. act. 5.

LIPSIVS.

Discrimen hoc habe: Deos à religioso vereri, à superstitioso timeri. Varro apud August. de ciuit. Dei lib 6.

THOMSONVS.

Ægyptij sacerdotes per porci hieroglyphicum argutos Sophistas appositissimè intelligi voluerunt. Nam sicut immundum illud animal lutum bifidâ vngulâ diuidit, nec eo minus in luto semper est: ita hi, vsque licet, & vsque distinguant, suarum tamen vanitatum & commentorum luto adhærescunt. Quod & in te Lipsi, ne longis ambagibus vtar, est cernere. Hic religiosum à superstitioso, à superstitione religionem vis distinguere, nec te tamen expedis. Discrimen ex Varrone affers. Verba eius agnoscimus, stultè quidem ab illo dicta, sapienter Vide Pier. Valer. in hieroglyp. lib. 9. in porco.

pienter & merito ab Augustino reprehensa, à te iterata fœdè. Sed propter sacrorum insignem veterum recentiorumque (medios excipio) Romanorum similitudinem, & (non iniuriâ dixerim) cognationem, non ineptè possis videri opinione niti Varronis, neq; nos immerito quod olim Augustinus in Varronem vibrauit, telum in te amentare. *Quis enim non intelligit te superstitionem à religione velle seiungere, sed, quomodo id possis, non inuenire?* Nec id cuipiam religionem vestram excutienti erit mirandum. Cum ab eodem fonte vestrâ illa theatrica penè omnis, veterumque Romanorum manârit. Et tu, ni fallor, id satis agnoscis. Quæ & causa fortasse fuit, cur de veteri illa Romana, aut nihil hactenus scribere, aut scriptum, (nisi de Vesta syntagma) es ausus vulgarē, In cuius limine, vestræ veterisque Romanæ religionis similitudinem non obscurè fateris. Verba tua hæc sunt: *Res sacrorum est: vanorum & veterum fateor: sed sacrorum, quæ nostris etiam pijs veriuq; sacris faciunt illustrandis aut approbandis*: nimirum, propter illam, quam dixi, cognationem. Nec dubitamus, quin, si in vetere illa detegenda pergeres, Lupæ vestræ Romanæ recentiori eodem detraheres laruam labore. Sed non vis *Camarinam*: sat habes, si ad insaniam tuam firmandam nobis alicuius obtrudas

August. de ciuit. Dei lib 4.c 30.

Lips. Syntagmate de Vesta & vestalib. epist. dedic.

— veteris ramalia fagi.

Pers. sat. 5.

Si ex ruderibus Varronis aliquod saxum possis eruere, ad politicum hoc ædificium perficiendum. Videamus ergo an in eius verbis accersendis agas candidè, an verò

— fronte politus

Astutam vapido serues sub pectore vulpem.

Pers. ibid.

Tu *ille Ipse, qui in antiquis aliquid capere te putas, & sapere*, qui tanquam alter Proteus nosti

Cent. 1. epist. 15.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahuntur.

Virg. Georg. 4.

Non potes ignorare, rectè nec ne religionem à superstitione distinxerit Varro. Si nosti ineptè illum distinxisse, & dissimulas, malitiosus es. Sin rectè distinxisse te simulas putare: da veniam, vt hæc nostra lecturis ea aperiam, quæ te certò scio callere.

Nemo ita sicco pede antiquitatis mare transiuit, qui

nesciat

nesciat augures & auspices & aruspices religionis præstites religiosos habitos fuisse. Porrò pro Augure aruspice aut auspice accepit Plautus superstitiosum, cum dixit:

Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat. Plaut. curcul. act. 3.

Quare & superstitiosus pro religioso ab eo capitur.

Contrà apud veteres pro superstitione ponitur religio. Lucretius:

Humana ante oculos fœdè cum vita iaceret Lucr. lib. 1.
In terris oppressa graui sub religione.

Et rursus:

Tantum religio potuit suadere malorum.

Confirmat Martinus Del-rio: *Lucretio & alijs gentilibus religio ponitur pro superstitione.* Addo *Rosinum*, qui religiosum & superstitiosum vni submittit iugo. *Romani fuerunt in Deorum cultu superstitiosissimi & religiosissimi.* De Magia lib. 1. c. 1. Rosin. Antiq. Rom. lib. 3. in Præfat.

Hactenus de ipsis vocabulis: nunc an verum sit religiosum vereri, non timere, videamus. Adsis ergo Maro & litem hanc dirime.

Iam tum religio pauidos terrebat agrestes Virgil. Æn. 8.
Dira loci, iam tum syluam saxumque timebant.

Qui timebant? isti, quibus incussa fuit religio loci: religiosi. Contrà ergo quàm tu dicis, (non dico quàm sentis) Lipsi religiosus timet. Hæres ergo adhuc in tuo luto.

Hac non successit, alia aggrediendum est via. Teren. Andr. act. 4. sce. 1.

Distingue rursus,

LIPSIVS.

Iam placeat ille versus saniter intellectus

Religentem oportet esse, religiosum nefas.

THOMSONVS.

Quot illic homo animos habet? Quam inconstans Constantiæ doctor! nunquam quiescit, & Plaut. epidi. act. 1.

stare loco nescit, nunc huc, nunc vertitur illuc

& ad omnia & in omnes partes est mobilis, vt Homericus Achilles

Ἄλλοτ᾽ ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε Iliad. [illegible]
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής, τότε δ᾽ ὀρθὸς ἀναστὰς
Nunc lateri incumbens, recubans nunc ipse supinus:
Nunc idem pronus, nunc astans denique rectus,

qui

qui modò ais modò negas, aliud ſtans dicis, aliud ſedens? ſed oblitus ſum ſectam hoc ſibi permittere Stoicorum, qui ſemper tam *inconſtantes fuerunt, vt nihil ab his dictum ſit, quod non ab ijſdem fuerit euerſum*: quod tu tibi quaſi tuo iure vendicas. At quæ eſt hæc veſania? Superſtitioſum me non vis eſſe, ſed religioſum. Sed nec religioſum vis eſſe, ſed *religentem*. At quid eſt, aut quis eſt religens? Hic nobis pro religione in qua quieſcamus, crucem, in qua torqueamur, fixiſti? Itane illa temporis decermina tibi placuerunt, aut tanti ſunt, vt in ijs nobis tradendis, ſumma imis confundere ſit tibi pro ludo? An quidquid in tuos aduerſariorum ſaccos congeſſiſti, id omne neceſſe eſt nos callida aliquà præfatione, adiectione, cautione interpolatum, audiamus, videamus, amplectamur?

Lactan. inſtit. lib. 2. c. 2.

Vſque adeone
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

Perſ. ſat. 1.

Scilicet:

Vt pueris placeas, & declamatio fias

Iuuen. ſat. 10.

magis, quàm vt religione hominum mentes imbuas. Nam qui in Politicis primo religioſum vis, non ſuperſtitioſum, deinde religioſum pro reijculo habes, & religentem vis hominem eſſe, idem in notis redis ad tuam ſuperſtitionem, & illam ſpartam excolis, & vt diligens agricola hunc ſuperſtitionis agrum repaſtinas, & quia hic tantum ad atrium admiſiſti, in notis nos ducis ad ipſa adyta, vbi

Horrendas canit ambages

Virg. Æn 6.

& τὰ βάθη τȣ̃ σατανᾶ, vt mox videbimus; vbi hoc prius lectorem monuero te in tuis politicis non abſimilem ſortem illi dare, de qua Apuleius. *Pijſſimi* (inquit) *ſacerdotes nouum quæſtus genus ſibi comminiſcuntur. Sorte vnicâ caſulis pluribus enotatâ, conſulentes de rebus varijs plurimos ad hunc modum cauillantur.*

Apoc. 2. 24.

Apul. metam. lib. 9.

Ideo coniuncti terram proſcindunt boues,
Vt in futurum læta germinent ſata.

Quemadmodum enim illi pro conſulentium negotijs, ſortem interpretabantur: ita tu Lipſi de cohibendâ excitandáque multitudine, non tantum *togatâ aut muliebri*, ſed & *accinctâ & militari*, inuadendis, propulſandiſque

ſandiſque

sandisque hostibus, veterno principi excutiendo, rebus accisis reparandis consulentes hac sorte vnicâ. varijs ædificij tui politici casulis enotatâ cauillaris:

Nulla res multitudinem efficaciùs regit, quàm superstitio. Polit. lib. 1. c. 3. & in notis ad illud cap.
Tum eminentioribus locis proscribis TELVM HOC AD REGENDVM: & rursus: SVPERSTITIO EFFICAX AD REGENDVM. In ora libri. Lib. 1. c. 3. & in notis ad illud cap.

Porrò, quia varios experturus es lectores, perplexam subdis sententiam. *Vsi vel abusi hac sæpe viri principes.*

His, qui nihil pensi habent, quibus modis, quod optant, assequantur, dicis *vsos* esse superstitione principes: At, quibus religio est aliquid aggredi malis artibus, *abusos*.

Item de Gallicanâ virgine, (de quâ sermo in notis) In notis. quia alij aliter sentiunt, tu vt omnibus satisfacias, in ora libri scripsisti: *Virginis Gallicanæ enthusiamus siue dolus*, vt quibus ista superstitio, quâ illa imbuta fuit, placet, *enthusiamus* sit; quibus displicet, *dolus*.

Cæterùm quæ de religione dixi & superstitione, nollem aliquem sic interpretari, quasi nullum inter hanc & illam discrimen putem: ego enim multò maximum existimo: & quæ dixi eò dixi, quòd tuum ex Varronis depromtum penu, cum Augustino ineptum iudicem. Quod mirarer profectò ex Varrone te potius voluisse, quàm ex Christianis haurire, nisi te nimium antiquitati isti superstitiosæ, à recentioribus, quibus adhæsisti, Romanis, ab inferis reuocatæ addictum viderem. Tu ab idololatrâ, si voles, falsum non sine crimine à superstitione religionis discrimen, ipse idololatra pete. Ego iam ex Christianis verum proponam.

Superstitiosi (inquit Lactantius) *vocantur, qui superstitem defunctorum memoriam colunt, aut qui parentibus suis superstites, celebrant imagines eorum domi tanquam Deos Penates.* Lactan. instit. lib. 4. c. 28.

Idem: *religio & veneratio nulla alia, nisi vnius Dei tenenda est.* Instit. lib. 1. c. 20.

Augustinus: *vera religio non à terrenâ aliquâ ciuitate instituta est: sed planè cœlestem ipsa instituit ciuitatem. Eam verò inspirat & docet verus Deus, dator vitæ æternæ veris cultoribus suis.* August. de ciuit. Dei. lib. 6. cap. 3.

Inſtit. lib. 1. cap. 4. Huc ſpectat illud Lactantij : *A Deo mittebantur :* [prophetæ] *vt & præcones eſſent maieſtatis eius, & correctores prauitatis humanæ :* id eſt, vt & à Deo hauſtâ religione verâ imbuerent homines, & eius auctoritate muniti ab eâ ſuperſtitione vindicarent, quam ſua prauitate ſibi impoſuiſſent.

Quod ſi veſtri homines magis quam antiqui patres placent: audi, loquuntur:

Tho. 22. q. 93. Thomas Aquinas. *Superſtitio eſt, quando traditioni humanæ, religionis nomen applicatur.* & ſequutus Thomam

Mart. de Arles Tract. de ſuperſtitionib. ex Tho. 22. q. 92. artic. 1. Martinus de Arles. *Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitum, ſecundum exceſſum plus exhibens in cultum diuinum, quàm vera religio, quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet, prout in cultu diuino fit aliquid quod fieri non debet.*

Agrip. de occul. Phil. lib. 3. c. 4. Cornelius Agrippa: *Credulitatem requirit ſuperſtitio, quemadmodum religio fidem.*

Hinc cernere eſt, veræ religionis auctorem eſſe Deum, & partim inſpirare, partim per Prophetas docere: & veram religionem eſſe vnius Dei, vt coli debet: id eſt (vt ego interpretor) vt ipſe iuſſit. Iuxta illud :

Deut. 12. verſ. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

Hinc etiam liquet cultum imaginum eſſe ſuperſtitionem, quia cum ſit traditio humana, illi tamen religionis nomen applicatur. Addo & in genere Idololatriam eſſe

Act. Apoſt. c. 17. 16. ſuperſtitionem. Illam enim per hanc interpretatur Lucas in *Actis Apoſtolorum.* Ait enim Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ Παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ θεωροῦντι κατείδωλον τὴν πόλιν : *Athenis Expectante eos Paulo, accendebatur ſpiritus eius in ipſo vidente idololatriæ deditam vrbem.* Et mox referens Pauli verba :

verſ. 22. Ἄνδρες Ἀθηναῖοι κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ : *Viri Athenienſes, vos omnino ſuperſtitioſos video.* Non ergo vereri & timere Religionem à ſuperſtitione diſtinguunt. ſed & ipſa ſubiecta, quæ coluntur, & ratio vniuerſa colendi. Hæc diſce Lipſi ſi neſcis: ſi ſcis, frontis tuæ pudeat, mentis pœniteat malæ, quæ vera diſſimulat, falſa obtrudit, & ad ſanitatem redi. Nam iam

-dicisque

— dicisque facisque quod ipse Pers. sat. 3.
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

LIPSIVS.

Nec tu externa omnia spreueris, etsi *pleraque ex ijs*, vt ille quidem vult, *magis ad morem quàm ad rem pertineant.* Nam Sen. apud Aug. de ciuit. Dei. lib. 6. c. 10.

Sapiens seruabit ea, tanquam legibus iussa, non tanquam dijs grata. Sen. apud eund.

THOMSONVS.

In regno nati sumus, ait Seneca: quo? Dei certè. Ergóne aliquis in eo faciet, ergóne aliquis in eo statuet faciendum, quod non ille imperarit? non imperarit? imò quod ille vetuerit? Prudens faciet, quod norit Deo non esse gratum? Pro Dei cultu exhibebit, quod sciat peccatum? peccatum nouit esse quod non ex fide. Ex fide non potest esse, quod Dei verbo non nititur. Iussa illa quæ ad morem non ad rem pertinent, non dico absurdum, sed, impium est dicere Dei verbo niti. Sen. de vita beata. c. 15. Rom. 14. 23.

Tanquam legibus iussa, non tanquam dijs grata]. Quid hoc monstri est? Rex aliquis terrestris nouum se adeundi ritum nec sibi gratam salutandi rationem excogitare non patietur inferiorem magistratum. Et se colendi Rex Regum Deus patietur? *Seruare* iubere *legibus* [nimirum *humanis*] iussa nec Deo grata, vox est Diaboli. Audiuimus ergo, Lipsi, Satanam per te loquentem, tu audi per Mosem Deum, ni mauis aures obturare:

— vt callida aspis, Psal. 58.
Quæ magicos metuit susurros.

Audi, inquam, loquentem per Vatem Deum. *Hæc sunt præcepta atq; iudicia, quæ facere debes in terrâ, quam Dominus Deus patrum tuorum est daturus tibi.* Et mox: Non *facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur:* — & tandem: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino.* Id est, non facietis ea quæ *ad morem*, sed ea quæ *ad rem* pertinent. Nec in cultu Dei quidquam facietis, nisi quod ego à Domino acceptum vobis præcipio, aut alij Prophetæ ab eo inspirati præcipient, imprimis autem *ille quem è fratribus vestris suscitabit Dominus Deus.* At non dubitabit Lipsius ea in cultu diuino facere & iubere, quæ Deo minimè sunt grata: *quia videlicet magnum* Deut. 12. 1. 8. & 32. Deut. 18. 15. & Act. 7.

Aug. de ciuit. Dei. lib. 6. c. 10. *aliquid eum* (vt magistrum suum Senecam) *Philosophia* [Stoica] *docuit, ne superstitiosus sit in mundo, sed propter leges* (vt ille *ciuium*) sic hic Papæ, *moresq; hominum, non quidem agat fingentem scenicum in theatro, sed imitetur in templo, eo damnabilius, quòd illa, quæ mendaciter agit, sic agat, vt eum populus veraciter agere existimet: scenicus autem ludendo potius delectet, quàm fallendo decipiat.*

1. Cor. 1. 20. *Sapiens*, inquis Lipsi, *seruabit.* Πȣ̃ σοφὸς; πȣ̃ γραμματεὺς; πȣ̃ συζητητὴς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ; ȣ̓χὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ; *Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quare? quia sapientibus huius seculi stulta videtur prædicatio crucis Christi, nisi accedant humanarum traditionum præstigiæ & fucus, nisi accedant quæ ad morem magis, quàm ad rem pertinent. sed

Ibid. vers. 18.

Pers. sat. 2.

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes!

Quid iuuat hoc, templis, nostros immittere mores?

Rom. 12. 3. Hæc qui facit, falso nomine est sapiens. Nam verè φρονεῖν est εἰς τὸ σωφρονεῖν φρονεῖν: *ad sobrietatem sapere.* At φρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ, & ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *sapere plus quàm oportet, id est supra id quod scriptum est*, est ὑπερφρονεῖν & ἀφρονεῖν, & φυσιοῦσθαι, vt ita dicam *supra-sapere, desipere & inflari.* Illa est (vt Poeta loquitur) *insaniens sapientia*, quæ tibi Lipsi est *ratio*; sed (vt ait tuus Seneca) *praua, & tuo malo, & in peruersum solers*: Quare facesse tu, & tecum *facessant illi omnes, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant.*

1. Cor. 4. 6.

Horat. carm. lib. 1. od. 34.
Sen. de breuitate vitæ. c. 5.
Lactan. instit. lib. 3. c. 30.

DE FATO.

LIPSIVS.

In notis ad cap. 4. lib. 1. Polit.

QVid ergo, ad peccatum impellit Deus? non, non, sed ad lapsum.

THOMSONVS.

Aristot. Ἑνὸς ἀτόπȣ δοθέντος πολλὰ ἕπεται: *Vno absurdo dato, multa sequuntur*, inquit Philosophus: quod hic fieri, etsi manifestius sit, quàm vt demonstratione opus habeat, tamen pro nostri instituti ratione operæpretium duco ostendere.

Primò

Primò ergo Lipsi, lapsum à peccato separas: non est ergo lapsus peccatum: Vnde sequitur Christum traditum esse pro eo, quod non est peccatum. Ait enim Paulus: παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν: traditus est propter lapsus nostros. παράπτωμα lapsum interpretantur Franciscus Portus & Robertus Constantinus, nec immeritò: non enim maiorum peccatorum tantum luit Christus pœnas sed omnium, etiam minimorum, etiam lapsuum qui & ipsi sunt peccata: τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, *Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato.* Deinde, *Deus*, ais, *impellit ad lapsum*; At Christus propter lapsus traditus est, Chtistus ergo traditus est propter id, ad quod impellit Deus. *Hæc sunt portenta* quæ *non* ex docentis *Philosophi, sed somniantis* sermone nascuntur. Denique, hoc te rogo Lipsi, si aliquem ex arduo impelleres ad lapsum, qui, à summo ruens ad imum, ceruicem frangeret, an te purum à culpâ præstiturum, & impunitatem impetraturum te putares, si *ad lapsum*, diceres, *impuli, non ad necem?* Si te impetraturum putas, desipis: si tale quidquam tentaueris: sapies tuo malo.

Rom.4.25.

1.Ioh.1.7.

Cic.de Nat.Deo. lib.1.

LIPSIVS.

Id est res & fortunas mutat, ab alto deijcit, ab imo attollit: & hæc talia externa, sic vt nos ipsi consilijs factisque gradum struamus ad fatalem illum lapsum, siue ascensum. Vt qui in vinclis à lictore ducitur, plerunque sponte it, trahendus tamen nisi eat: ita hic.

THOMSONVS.

Nescio quid tu monstri sub rerum & fortunarum tegis pallio. Si per illas, opes, honores, corporis sanitatem & eiusmodi alia intelligis: quis tibi quod asseris concedet? In Esthera nihil præter ipsam fortunam (quandoquidem ita tibi placet loqui) mutatum est. Pia captiua egena & abiecta, pia libera & regina potens. Iobus in diuitijs pius, idem in paupertate: idem in scabie & sterquilinio, qui sanus domus magnificæ dominus: idem in conuitijs amicorum & vxoris, & ignominiâ, qui ab ijs olim cultus: Idem sine liberis, qui pater. Quasi verò non infiniti mortales nunc opulenti, sani, liberis beati, ornati honoribus, nunc exhausti,

ſpoliati liberis & omnibus honorum ornamentis ijdem in vtraque fortunâ maneant boni vel mali, pij vel impij. Quàm multi ſunt, qui non magis animum cum fortunâ, quàm Æthiops cum patriâ pellem, aut pardus maculas mutat? vt

Horat. ad Vinn. Epiſt. lib. 1.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt,

Ita nec omnes, qui mutationis tranant ſalum. Loci & tempeſtates linguam quidem mutant, non mentem. Huic rei vel tu Lipſi eris exemplo. Qui multo ſecus iam loqueris & ſcribis, quàm cum eſſes *Lugduni Batauorum* & cum *Ienæ*, at nunc te dicis ſentire vt tunc ſenſiſti: & te in *Batauorum ſede non in ſenſu fuiſſe.* Non ergo ſemper verum eſt fortunarum mutationem ad fatalem lapſum impellere.

In Reiectiuncula adiecta Diuæ Aſpricolli.

[*Vt qui in vinculis à lictore ducitur, plerunque ſponte it, trahendus tamen niſi eat: ita hic.*]

Si ita eſt hic: aliquis eſt lictor. At quis ille eſt, quo aut ducente ſponte imus, aut cogente trahimur inuiti? aut Deus eſt, aut Fatum. Si Deum apertè dixeris: dignus es quem: ſed taceo. Si fatum vis eſſe lictorem: non rem, ſed nomen mutas. Tu ergo qui Stoïcus es, & per * propylæa ad Stoæ adyta dediſti aditum, ex intimo eius penetrali, hanc ſortem de Fato excipe. *Natura inquit* (aliquis) *hoc mihi præſtat.* At *non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo*: & mox: *hunc eundemque & Fatum ſi dixeris, non mentieris.* Et rurſus: *Hunc Naturam voca, Fatum, Fortunamque, omnia eiuſdem Dei nomina ſunt variè vtentis ſuâ poteſtate.* Nec tu Lipſi a tuis Stoïcis diſſentis, nec minùs, quam illi es inconſtans: tuos voco, quia tu ipſe ita vocas. Fortunam & Fatum pro eodem cum illis accipis, cùm ais: *Romani templum ſtruxêre honori pariter & virtuti: vtramque colebant: ſed & Fortunam etiam, id eſt vt rectè interpretamur, Prouidentiam & Fata ab alto.* Fortuna ergo & Fata, tibi idem ſunt: & illa tanquam Deum alicubi (vt ante oſtenſum eſt) ſic inuocas

Intelligo Manuductionem ad Stoicam Philoſophiam
Sen. de Benef. lib. 4. c. 7.
Eod. lib. c. 8.
De Conſtant. lib. 1. cap. 18.
De magnit. Ro. lib. 4. c. 1.

Ἄγου δὲ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύγ' ἡ πεπρωμένη

Tu Iupiter me ducito & fatalitas.

Cent. 1. epiſt. 100.

Et alibi ad Dei conſilium admittis: *Fatis*, inquis, *& Deo viſum*: at, *Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit ei?* aut quis *quæ Dei ſunt cognouit,* niſi

De magn. Rom. in Epiſt. ad lect.
Eſ. 40. 13.
1. Cor. 2. 11.

nisi spiritus Dei? Si ergo Fatũ Dei consiliarium facis, facis & Deũ. Sed quid studeo ratiocinando te eò ducere, quò sponte curris? Ipse enim Fata satis clarè vocas Deum. *Tibi quis hic fructus?* inquis, *iste: vt verè pius sis, & fata sequare, id est, Deum.* Tu idem, qui Fata vocas Deum, qui Fortunam appellas Fata ab alto, idem, inquam, Fortunam in tua Constantia (adeo tibi constas) appellas *cæcam Deam.* Sed vt eò redeat vnde deflexit oratio, Quis erit ille lictor? Fatum? non: fortasse dices, quia tibi & tuis Stoicis Fatum est Deus. Quid ergo? Quemadmodum Epicurus cum premeretur argumentis, *dicebat Deum non habere corpus, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem:* ita tu Fatum non lictorem, sed tanquam lictorem fortasse dices. At abijce personam, & dic apertè: *Carnifex illud fatum me teque expectat.* Ita tibi idem sunt Fortuna, & cœca Dea, Deus, Fatum, carnifex. Ab hoc sacrilegio ad Fraudem tuam transeo.

Polit. lib. 1, c. 4.

De Constant. lib. 1. c. 18.

Cic. de Nat. Deo. lib. 1.

Cent. 1. epist. 86.

DE FRAVDE.

LIPSIVS.

VIdeor liberaliter satis, & plenâ, quod dicitur, manu, tibi promisisse è gemino prudentiæ fonte: & quidem probum & merum. Fasne est, vt leuiter misceam, & iungam aliquid è fraudium fæce? ego puto: quidquid Zenones quidam mihi abnuant, quibus vnum illud ad laudem, cum virtute directum iter, probatur.

Polit. lib. 4. c. 13.

Cic. pro M. Cæl.

THOMSONVS.

Attalus quidam Philomator pro oblectamento habuit, elleborum, aconitum, & cicutam, venenosasq; herbas plantare, à cuius ingenio tu minimè abhorres Lipsi: illo tanto peior, quanto deterius est animo, quàm corpori nocitura serere. Ad quæ priusquam extirpanda accedamus, aliquid erit de tua liberalitate, quam iactas, dicendum. Magnus ille Cato sua tempestate dicebat, *vera rerum vocabula esse amissa, quia bona aliena largiri, liberalitas appellaretur.* Et nónne tu iam ex alienis loculis exerces hanc benignitatem? Nónne bona aliena largiris, cum è Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, & Historicorum libris commata compilata nobis erogas? sed

— miserum est aliorum incumbere famæ,

Alex. ab Alex. genial. dierum. lib. 3. c. 21.

Sallust. Catil.

Iuuen. sat. 8.

Extra. Ioan. 22. de verb. sig. tit. 14. c. 4. Cum inter. in glossa.

Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Miserum & turpe alienis opibus spargendis tibi velle liberalitatis nomen arrogare. Turpe? imò *species iniusti lucri est, ex alieno largiri.* Diligentiam tibi damus: liberalitatem certè hic non damus. Iam quoniam

Horat. serm. lib. 1. sat. 1.

— pergis pugnantia secum
Frontibus aduersis componere,

Fraudum fæcem prudentiæ fontibus confundere: camarinam illam (etsi non sine nausea) mouebimus, & Deo dante à ciuitate Christiana amouebimus.

Quæris an leuiter aliquid miscendum sit ex fraudum fæce, & tanquam δίχρωμος: Ipse tibi respondes, te putare.

De offic. lib. 3.

Impiè pariter quæsitum ac responsum. *Ea,* inquit Cicero, *deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. In ipsa enim dubitatione facinus inest:* & Quintilianus: *Reperto, quod est optimum, qui quærit aliud, vult peius.* Prudentiâ ergo repertâ, quid tu cum fraudes quæris, nisi peius vis? Quid de ijs deliberas in quibus ipsa deliberatio est turpis? At tu præoccupas: *plerunque turpe haberi solere, quod turpe non erit.* Nec nos negamus, aliquid turpe posse & solere haberi, quod tale non sit: sed id aliquid, esse tuas fraudes negamus.

Institut. orat. lib. 2. c. 6.

Eod. cap.

Quippe dolus malus non potest non turpis esse: quem tu doces. Ego? inquis. Tu Lipsi, tu inquam doces. Sparge manus: cœlum testare, & tuos Deos & Deas: tunde pede terram: freme: frende: doces. Qui pote? quia simulare & dissimulare doces. Noli iam nos *pepone insulsiores* statim vocare: *parce in nos plaudere: neque enim prius exultare te dignum est concinnitate sermonis, quàm vtrinq; plenius fuerit peroratum,* Si tamen peroramus. Vide ergo mecum paucis quid sit dolus, tum quot partibus contineatur.

Arnob. aduers. Gentes. lib. 8.

De offic. 3.

Cum ex eo (inquit Cicero intelligens Aquilium) *quærerem quid esset dolus malus, respondebat: cùm esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc sanè luculenter, vt ab homine perito definiendi.* Tum: *dolus malus simulatione & dissimulatione (vt ait Aquilius) continetur.* Deinde: Quòd *si Aquiliana definitio vera est, ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est.* Quare? *Quia omnes aliud agentes aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt.* At tu illos Cicerones,

Ibidem.

Ibidem.

Lips. polit. lib. 4. c. 3. vide init. cap.

nes, quibus *vnum illud ad laudem cum virtute directum iter* probatur, imò ipsos Zenones, id est tuos Stoïcos, quos tibi *in pretio & amore esse non dissimulas*, & *quos alibi libenter audis*, *hic qui*, inquis, *possum?* At qui non potes? Quia *mala mens, malus animus*. Et qui potes fraudum fæces prudentiæ addere, id est à regiâ viâ deflectere, & has commodi semitas sectari, qui eo nomine Machiauellum accusas? Hæc tua sunt: agnosce: *Vnius Machiauelli ingenium non contemno, acre, subtile, igneum: & qui vtinam principem suum rectà duxisset ad templum illud Virtutis & Honoris! sed nimis sæpe deflexit, & dum commodi illas semitas intentè sequitur, aberrauit à regia hac viâ.*

De Const. lib. 4. cap. 18.
Terent Andr. act. 1. sce. 1.
Lips. in epist. ad Lect. ante politica sua.

Quasi alter epistolam tuam, alter hoc caput scripsisset, aut tu illic sobrius, hic ebrius fores; placet illic via regia, displicet Machiauellus, quia commodi semitas sectatur. Hic non Virtutis & Prudentiæ sola via regia, sed & fraudis semita placet: Zenones & Cicerones, quibus vnum illud cum virtute directum iter probatur, displicent. ô Constantiam Lipsi!

LIPSIVS.

Inter quos enim viuimus? nempe argutos, malos, & qui ex fraude, fallacijs, mendacijs constare toti videntur. Ex Cic pro Rosc. com.

Ipsi Principes cum quibus nobis res, plerique in hac classe: & quidquid leonem præferant,

Astutam vapido seruant sub pectore vulpem. Pers.

Et hic mihi clamat quispiam, nequid insidiosè, nequid simulatè, nequid fallaciter? Cic. de offic. 3.

O puri, imò ô pueri! per fraudem & dolum regna euertuntur, *ait Philosophus*:

Tu seruari per eadem, nefas esse vis? nec posse principem

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα

Cum vulpe iunctum pariter vulpinarier?

THOMSONVS.

Harum rationum summa est, insaniendum esse cum seculo. Sed argumenta in specie operæpretium est appendere. τὸ ζητούμενον est, an fraude vtendum sit. Tu ais: & hoc argumento probas.

Quo vtuntur ij cum quibus viuimus, eo & nos debemus vti,
Ij fraude vtuntur.
Ergo & nos fraude vti debemus.

Itane

Itane vero nobis viuendum putas, vt exempla, eaque pessima & detestanda sequamur? At nos si *alienis perimus exemplis*, qua fronte audes tu Lipsi, insanam & impiam aliorum vitam nobis imitandam proponere? Quandoquidem *nihil nobis magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu, sequamur antecedentium greges, pergentes, non quà eundum est, sed quà itur.* Sequitur prolepsis: dicturus erat aliquis nihil insidiosè fallaciterq; faciendum. Hanc obiectionem tu *hilarem insaniam insaniens, & per risum furens* sanna eludis: *ô puri, imò ô pueri!*

Sen. de vita beata c. 1.

Ibidem.

Sen. eod. lib. c. 12.

Iuuen. sat. 10.

Est facilis cuiuis rigidi censura cachinni,

sed adde rationem.

Philosophus ait per fraudem & dolum regna euerti.

Ergo per fraudem & dolum, i insidiosè, simulatè defendenda & seruanda sunt.

Sibilis argumentum dignius quàm trutina logica: sed age addatur pars reliqua, quæ si vniuersalis fuerit, manifestè erit falsa; si particularis, efficiet paralogismum in prima figura syllogismorum: sunto ergo syllogismi duo, quorum hic alter esto:

Per quæcunque euertuntur regna, per eadem seruari debent.

Per fraudem & dolum euertuntur.

Ergo per fraudem & dolum seruari debent.

Alter, iste:

Per aliqua, per quæ euertuntur regna, etiam seruari debent.

Fraus & dolus aliqua sunt per quæ regna euertuntur.

Ergo per fraudem & dolum regna seruari debent.

Hic lector credo

Pers. sat. 1.

—nimis vncis

Naribus indulges.

Et quis tam ἀγέλαστος, aut, vt ait Poëta,

Iuuen. sat. 1.

tam ferreus vt teneat se

quin rideat? sed ne fraudi simus tuæ fraudi, & argumenta tua callidè obruere videamur, similia aliqua addemus.

Per quod domus perijt, per idem seruari potest.

Per ignem perijt.

Ergo per ignem seruari potest.

Per quæ homo incidit in morbum, per eadem à morbo seruari potest.

Per

Per cruditates, pituitam, vigiliam incidit in morbum.

Ergo per hæc eadem potest à morbo seruari.

Item.

Per quod quis excidit è regno Dei, per idem in eo potest manere.

Per peccatum ex eo excidit.

Ergo per peccatum potest in eo manere.

Quid dilutius (ne dicam stultius) potest excogitari? Tua tamen argumenta sunt horum planè similia. Pudet hos pannos excutere: sed necesse est: Redeo ad tua verba: quæ nequeo tam leuiter præterire.

Et hic mihi clamat quispiam nequid insidiosè, nequid simulatè, nequid fallaciter?

Neminem vis ergo sic clamare: Quod est ergo tuum Lipsi

EDICTVM?

INSIDIOSE, SIMVLATE, FALLACITER

IMPERATOR

REGES

PRINCIPES

AGITE. SIQVI SECVS CENSETIS, PVERI ESTIS.

Ego quidem censeo interdum fas esse

ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα.

Cum vulpe iunctum pariter vulpinarier.

Dignum certè edictum Lipsij ingenio, qui ne vel extremis, quod aiunt, labris pietatem gustauit: quod non rationis humanæ cuniculi suffodient, sed diuini verbi, vt ita dicam, aries euertet, atque adeo malleus contundet.

Vos ergo qui Fraudis oratorem libenter auditis Lipsium, veritatis præconem Paulum audite. παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἀδελφοὶ (:) μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ. ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός ὑμῶν. *Adhortor igitur vos fratres ne conformemini seculo huic: sed transformamini in nouitate mentis vestræ.* Id est, ne viuatis ad exemplum hominum malorum, sed iuxta diuini verbi regulam: nec cum vulpe vulpinamini, nec cretizate cum Crete, sed pura mente freti, securè vel viuite vel morimini: Nec publicæ vtilitatis pallium vestro sceleri prætendite

Rom. 12. 1. 2.

Gal. 6. 5. tendite. *Vnusquisque enim suum onus portabit*, nec publicum commodum tunc tegumento erit, cum omnia detegentur.

LIPSIVS.

Cic 3. de offic. *Præsertim si publicus vsus salusque suadeat: quæ semper cum Principis vsu & salute coniuncta? profectò erras.* communis vtilitatis derelictio contra naturam est.

THOMSONVS.

Hæc reliqua est pars tuæ interrogationis: cui additur responsio, & responsionis confirmatio. Vbi à te bifariam peccatur: in re, in teste. In re: quia in priuatâ publicâque salute seruandâ das fraudis vsum. In priuatâ inquam, aliquo modo, quia in publicâ præsertim. Sed quia tu publicam salutem fraudi latibulum magis quàm priuatam putas concedere, præteribo illam priuatam: & in publicâ minus concedi debere probabo.

In publicâ salute seruandâ non potest Princeps, nisi publico consensu ornatus, robore suffultus, opibus adiutus, tanquam vulpes aliam vulpem decipere. Vnde necesse est publicum peccatum emergat, populi & Principis.

At quis ita ratione destitutus est qui non in vnius salute priuati culpam potius priuatam, quam in publicâ, multorum concedendam, aut certè excusandam putabit?

In teste peccasti, quia Ciceronis abusus verbis, illum in tuam trahis sententiam, qui ei maximè aduersatur. Illum, quem modò reiecisti quia illi *vnum illud ad laudem cum virtute directum iter, probatur*, iam vis tuæ fraudi patrocinari: quasi illi, cui vnum placet iter cum virtute directum, etiam tuarum fraudum semitæ & errores placerent.

Nos quidem communis vtilitatis derelictionem cum Cicerone contra naturam esse fatemur: sed quo modo ille intellexit: id est quamdiu cum honestate erit coniuncta. Quid enim ille? IACEAT VTILITATIS SPECIES, VALEAT HONESTAS. Priuatę, dices, vtilitatis: Imò publicæ non minùs. Quia vtilitatis publicæ studium nisi sit cum honestate coniunctum, maximè contra naturam esse docet idem Cicero. *peruertunt*,

Cic. 3. de offic.

inquit

inquit, *homines ea, quæ sunt fundamenta* NATVRAE *cum vtilitatem ab honestate seiungunt.* Tu facis Lipsi, cum vis per dolum malum, per fraudem salutem publicam seruari: & homines, vtilitatis specie, ab honestate discedere. Tu ergo ipse contra naturam facis, *non verbis & disputatione philosophorum* (vt ait idem Cicero) *sed vinculis & carcere castigandus*: eoque magis, quòd cum vis vtilitati ab honestate seiunctæ fauere, qui nihil quale tu dicis, unquam dixit, scripsit, sensit; sed, ne pro ipsâ salute publicâ seruandâ, fraude vtendum docuit, cum quid de Fabricij facto senserit, ostendit. *Cùm* (inquit) *rex Pyrrhus populo Romano bellum vltrò intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, perfuga ab eo venit in castra Fabricij, eique est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum: idque factum eius laudatum à senatu est. Atqui si speciem vtilitatis, opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga vnus, & grauem aduersarium imperij sustulisset: sed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum.* Cic. ibid. Ibid. Ibid.

At tu Fabricio accipiendæ conditionis auctor fuisses. Tu inquam, qui infrà *Conciliationem* suades: id est allicere quouis modo homines ad principem vendendum prodendúmue iubes, vltrò oblatum proditorem perfidum ambabus vlnis iussisses amplecti. Lib 4, polit. cap. 14.

LIPSIVS.

Stare omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reip. qui cùm iam versatur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius vtilitas, salusque conuerterit. Pro. Planc.

THOMSONVS.

Quandoquidem non pudet te laruatam vtilitatem & honestate, vt ita dicam, coniuge cassam inculcare, & Ciceronis abuti stilo: nec me ex eodem Cicerone tædebit referre gratiam: *Nihil* (inquit ille) *vtile quod idem non honestum.* Nunquam illi alia mens: nec vnquam nos vult vtilitatem respicere, nisi honestam. Cic. 3. de offic.

LIPSIVS.

Turpe aliquid in eo mixtum videbitur? frustrà. hoc enim aspectu, quod plerunq; turpe haberi solet, turpe non erit. Cic. 3. de offic.

THOM.

THOMSONVS.

Si fraus admixta fuerit: turpe in eo mixtum, non videbitur, sed erit. Nec tu vnquam efficies, quin dolus malus sit turpis: quin simulatio, quin dissimulatio, quin conciliatio per malas artes sit dolus malus. Nec tamen desinis fraudis aduersarium acerrimum huc patronum accersere: quasi ille tuas fraudes non turpes existimarit, quia sæpe dixerit id turpe haberi, quod turpe non sit. An quia sæpe sic accidit, semper accidit? Iam quia delectat te συλλογίζειν operæpretium censeo, ex tuis & Ciceronis verbis argumentum quale possit contexi, ostendere.

Plerunq; *Aliquid quod turpe haberi solet, turpe non erit.*

Fraus est aliquid quod turpe haberi solet.

Ergo fraus turpis non erit.

Nec alius potest inde syllogismus strui: quia quod plerunque tantum est, non aliud potest esse quàm (vt loquuntur in scholis) possibile in vtrumlibet, id est materia contingens. Porro indefinita enuntiatio in materiâ contingenti, particularis tantùm vim habet, vnde nihil sequetur. Quòd si vniuersale feceris enuntiatum ex Ciceronis verbis: apertè erit falsum: & propterea id etiam quod inde efficere nitêris.

LIPSIVS.

Cic. 3. de offic. *Semper officio fungitur, vtilitati hominum consulens & societati.*

THOMSONVS.

Falsa planè sententia, si diuellas à reliquo Ciceronis sermone. Nec vnquam officio fungitur, qui spreto honestatis nomine consulit vtilitati. Necesse enim est, imperet honestas, & antecedat, vtilitas autem sequatur. *Nihil enim vtile, quod idem non honestum, nec quia vtile honestum, sed quia honestum, vtile,* ait Cicero sui melior quàm tu interprès: (Cic. ibidem.)

LIPSIVS.

Itaque ne tanto opere, quæso mirentur, aut indignentur; si nobis arbitriu, non semper superet, vera illa & directa ratio. (Cic. pro M. Cæl.)

THOMSONVS.

Quis non iure miretur pius, quis non meritò indignetur

netur, cùm pro vero falsum, pro recto prauum videat obtrudi? Namque

— vt in fabricâ si praua'st regula prima: Lucr. lib. 4.
Normáque si fallax rectis regionibus exit:
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum:
Omnia mendosè fieri atque obstipa necessum'st
Praua, cubantia, prona, supina, atque absona tecta,
Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantque
Prodita iudicijs fallacibus omnia primis:
Sic etiam ratio rerum

nisi directa obtineat, praua certè, ruitura, & nos, inter agendum, opera oppressura producemus. Placeat ergo nobis via recta & regia: nam *praua illa est peccatorum, quæ peribit.* Psal. 1. vers. vlt.

LIPSIVS.

Velimusque principem alto quidem splendidoque ingenio: sed tamen eruditum vtilia honestis miscere. Tacit. Agric.

THOMSONVS.

Ea vtilia, aut honesta sunt, aut non sunt. Si sunt: nihil agis pro tuis fraudibus, quæ honestæ non sunt. Sin ea vtilia honesta non sint: non sunt miscenda. Nam

Sambucam citius caloni aptaueris alto, Pers. sat. 5.

quam non honestum honesto miscueris.

LIPSIVS.

Miscere dico. Nam vt prorsus ab honesto recedat, nulla res suadere me adiget. Sperno seriò & execror illas voces: Nihil gloriosum nisi tutum; & omnia retinendæ dominationis honesta esse: Sallust. in orat. Lepidi.

Item:

Vbicunque tantùm honesta dominanti licent, Sen. Thyest.
Precariò regnatur.

Ad orcum hi sensus, vnde nati. De me fateor:

Ego ille sum, qui scelera committi vetem: Auctor Theb.
Ego sum magister iuris ac moris probi.

Et volo hoc tantum ius fasque esse, interdum in turbido hoc rerum humanarum pelago, Obliquare sinus. Virgil.

THOMSONVS.

Prodigiosa pietas!

— & Tuscis digna libellis, Iuuen. sat. 13.

Quæque coronatâ lustrari debeat agnâ.

Non vult Lipsius principem omnino ab honesto recedere. Quotusquisque hac est pietate, vt principi ab honesto recedere in loco concedat? O principibus indulgentem magistrum!

Martial. *nihil est* quo *sanctius vno*,

Qui spernit, qui execratur illas voces *nihil gloriosum nisi tutum*, Item:

Vbicunque tantùm honesta dominanti licent,
precariò regnatur.

Et id tantum vu t fas interdum esse, *obliquare sinus*, id est, à recto recedere, Deum relinquere, Diabolo militare, à castris lucis ad tenebrarum castra transfugere. Hoc magistro iuris ac moris probi

Pers. sat. 1. *—euge, omnes, omnes benè miræ eritis res*

Principum. Tu es ergo Lipsi ille magister iuris & moris probi? *Memini* (inquit Cicero) *summos fuisse in ciuitate* Cic. 1. de legib. *nostra viros, qui ius interpretari populo, & respondere soliti sint, sed eos magna professos, in paruis esse versatos*: Sic scio ego in ciuitate Christiana te Lipsi proba professum, in prauis esse versatum. Te & tui pares Plauti versus alloquuntur.

Trucul. act. 1. *In melle sunt sita linguæ vestræ atque orationes,*
Lactéque, corda felle sunt sita, atque acerbo aceto:
E linguis dicta dulcia datis, corde amarè facitis.

Magistrum iuris te & moris probi profiteris, & fraudem tamen doces. Si simulationis, dissimulationis, corruptionis, perfidiæ, improbitatis, malitiæque magister, sit moris probi: quis erit mali? aut si istarum artium magister, est moris mali: tu quî boni dicère? Cæterùm tu obliquandi sinus magister, abi ad seruorum gregem, quorum illud est scitum:

Plaut. Epid. act. 1. *Vtcunque in alto ventus est, exin velum vortitur.*

Nos, licet in turbido simus pelago, liberalis ingenij hoc libenter audimus effatum:

Iuuen. sat. 10. *semita certè*
Tranquilla per virtutem patet vnica vitæ.

LIPSIVS.

Vinum, vinum esse non desinit, si aquâ leuiter temperatum: nec Prudentia, prudentia, si guttulæ in eâ fraudis. Semper intellego,

tellego, vt modicè ad bonum finem. Nonne matres aut medici quoque teneræ ætati fucum sæpe faciunt, Lucr.

Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus?

THOMSONVS.

Vinum leuiter aquâ mistum non desinere vinum esse libenter fatemur. Sed si veneno misces: iam non vinum est, sed venenum. Vterque latex & vini & aquæ per se bonus est, quare nec mistus malus. At prudentiam fraude miscere, non est aquâ sed veneno miscere vinum. Deinde aqua illa leuiter admista, pars fit vini. At fraus Prudentiæ pars esse non potest. *Pars enim honesti non potest esse nisi honestum.* Sen. de vit. beat. c. 15. Imò prudentiæ ne vel admouenda est fraus, nedum confundenda: nec vnquam debet Prudentia tam turpi ancilla dehonestari. *Nunquam enim virtus vitio adiuuanda est, se contenta.* Idem de Ira. lib. 1. c. 9.

Simili vteris argumento, quod tractas, tam dissimili, quàm tu es tui. Prorsus enim differunt, quod illi faciunt, & tu vis fieri; Matres enim medicique cùm

oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore
Vt puerorum ætas improuida ludificetur Lucr. lib. 1.
Labrorum tenus,

non faciunt teneræ illius ætatis malo:

Sed potius tali facto [vt] *recreata valescat:*

At princeps, quem vis

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα,

nil tale molitur: nec tu tale moliri, sed decipere in perniciem eius, quem decipit, iubes

Magister iuris & moris probi.

LIPSIVS.

Virum quærit hoc tribunal, qui οὐκ ἄπειρος τῶν [illegible] τὸν βίον πραξέων: Non ignarus rerum quæ eueniunt in hac vita.

Ab illo facilè obtinebimus, nec Maculonum Italum tam districtè damnandum: (qui miser à quo non hodie vapulat?) & esse quandam, vt vir sanctus ait, Καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν: honestam atque laudabilem calliditatem.

THOMSONVS.

Ita familiares tibi sunt paralogismi, vt nulla tua ferè

illis careat pagina. Aliquam dicit Basilius calliditatem esse honestam: ergo fraudum fæcem tu inde honestam argues & laudabilem? Absurdè nimis, si arguendi ratio respiciatur: improbè & malitiosè, si mens Basilij ex ampliore eius sermone ostendatur. Tuus ratiocinandi modus nimis est ridiculus, quia ex particulari particulare, contra Logicæ regulas arguit. Porrò quantùm Basilius pius vir & sanctus tibi profano fraudis doctori faueat, non ego, sed ipse Basilius docebit. *Est igitur* (inquit) *astutia* [πανουργία] *actio animi cum attentione quadam, & arte & studio laudabili rerum omnium agendarum. Sicut & versutia mali tantùm studium & operationem exprimit. Quoniam igitur astutus vniuersorum suscipit actionem, & in cunctis etiam mala reperiuntur, astuti appellatio duo significat. Improbus quidem sensu & arte in alienis vtitur damnis. Laudabilis verò citò ac sollerter bonum proprium vestigans, dolos atque insidias alienas rectè cognoscit, atque euitat. Quamobrem huic attende astutiæ nomini diligenter, & vt eam cognoscas operam dabis, secundum quam, hic quidem è salubri proposito, probatus, in propriæ propinquique salutis vsu versatur. Alter verò condemnatus, quòd astutiâ ad perditionem proximorum vtitur, tanquam subsidio quodam, ad malum, studio illius abusus.*

Basil. in Prouerb.

Hîc quis non videt, quæ fuerit sancti illius mens viri, & quam voluerit in astutia (siue, vt tu vis, calliditate) cognoscenda vtendaque cautionem adhiberi? Illam appellat & intelligit πανουργίαν ἐπαινετὴν, quâ quis ad suam proximíue vtilitatem, sine alterius damno vtitur. quod, quæ eo loci adducit exempla, apertè clamant. Nec enim damno Hebræi (de quibus ibi loquitur Basilius) Ægyptios affecisse dicendi sunt, quibus laboris sui iustam debitamque mercedem emunxerunt, quam illi nunquam erant vltrò daturi. Ceterorum exemplorum, quæ non est consilium enumerare, par est æquitas. At illam tuam Astutiam siue calliditatem & fraudem splendidissimè sceleris coarguit. Quid tu vis fieri, quid Gabaonitæ fecerint, quid ille de eorum facto scriptum reliquerit, vide. Hostibus res erat cum hostibus: Gabaonitæ non tam vt vim aliquam Israelitis inferrent, quàm vt se illorum ensibus subducerent, fraude leui

leui quidem, te disceptante Lipsi, sunt vsi: at improba, censore Basilio: censore Iosuâ, dignâ quam grauis maledictio sequeretur. Sic enim magnus ille dux diuino afflatus numine illos affatur: *Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis, procul valde habitamus à vobis: cùm in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis.* De ijsdem Basilius in hunc modum loquitur: *Improbâ astutiâ Israëlitas deceperunt Gabaonitæ.* Porrò, quia luculentus est apud Basilium locus de fraude & alijs vitijs, hic placuit ex eo lectori trutinandum proponere, vt quàm non faueat tuarum fraudum fæci & luto, possit videre. *Quando* (inquit) *singula Dei mandata contra aduersantem sibi malitiam, coram te iudicium experiuntur, Da legi diuinæ contra vitium victoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur? Responde contra concupiscentiam alienorum bonorum. Da vt vincat virtus.* —— *Simulatio & simplicitas, fortitudo & timiditas, prudentia & imprudentia, iustitia & iniustitia, temperantia & intemperantia iudicantur? Tunc denique in tuæ mentis recessu iudiciorum rectitudinem ostende. Et, velut in tribunali, tibi assidere mandatum Dei faciens, monstra te vitium abhorrere, ac omninò* [nota *omninò*] *ab eo esse auersum, virtuti verò fauentem studentemque.* —— & infrà: *Innocentem ergo te ostendet morum & simplicitas & candor, qualis erat Iacob minimè fictus, habitans domum, hoc est, naturæ vtens simplicitate, nihil ex arte simulatum, figuratúmue retinens, hoc est nullam in verbis adumbratam decipientemue faciem præ se ferens.*

Deut 34. 9.
Ios. 1. 5.
Ios. 9. 22. 23.
Basil. ibid.

At dices hæc esse in priuatâ cuiusque vitæ ratione, non in salute publicâ præcepta seruanda. Sed recurre ad Gabaonitas, quorum nomen, ob fraudem publicæ salutis pallio tectam, cum maledictione est ad posteritatem propagatum. Illic de publicâ fraude agitur, & de salute publicâ. Neque tu vnquam euinces, quin Basilius, quæ proximis verbis vni legenti aut audienti dicit, omnibus facienda intelligat. Quare tu ψεῦσμα magister moris probi

Audi, magister fraudis & moris mali,

quo telo is qui serpentis caput contriuit, vipereum hoc tuum caput feriat, quo adamantino decreto omnes fraudum aliarumque artium malarum doctores à ciui-

Matth. 5. 19. tate cœlesti arceat. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. *Qui soluerit vnum de mandatis istis legis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* At, qui ibi minimus in regno cœlorum futurus dicitur, minimè in eo habiturus locum intelligitur. Si ergo tibi vlla spes est vitæ æternæ per Christum, cane palinodiam, & abiura fraudis magisterium, & esto reapse, quod ore tantùm profiteris,

— ille qui scelera committi vetes.

1. Pet. 2. 1. 2. 3. Vosque adeo Lipsij auditores, lectores, admiratores, vnà cum illo ἀποθέμενοι πᾶσαν κακίαν, καὶ πάντα δόλον, καὶ ὑποκρίσεις, καὶ φθόνους, καὶ πάσας καταλαλιάς, ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε, ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε, εἴπερ ἐγεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος: *Deponentes omnem malitiam, & DOLVM & SIMVLATIONES, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis, si tamen gustastis, quòd dulcis est Dominus.* Et

1. Pet. 4. 11. εἴτις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ: *siquis loquitur: quasi oracula Dei* loquatur: nec Christi ciuitatem prophanorum hominum vanitate polluat & perdat.

LIPSIVS.

Lib. 4. Polit. c. 4. *Nec, tamen ita hæc disserо, vt fræna omnia fraudi, malitiæq; permittam. absit. Distinctionum tibi lumen præferam, &, nequid libero nimis pede vagêris, lineis suis, limitibusque includam fallacem hunc campum.*

THOMSONVS.

Superiori capite tibi fraudis agrum

Virgil. Georg. 1. *— tenui sat erat suspendere sulco:*

Hic das omnes distinctionum liras: vbi planè deliras. Dicis enim (etsi fraudes doces) te non omnia fræna fraudi malitiæque permissurum, & prælaturum distinctionum lumen. At si permiseris tantillùm:

Ouid. metam. 2. *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas:*

Nec ipse Automedon currum rexerit, quem hi trahent equi. semper vitijs cum Virtute de principatu certamen fuit. Nec pars victrix secum cohabitare victam magis patitur, quàm pellicem vxor, aut vxorem pellex. Non

est

est quod quispiam se vitium moderaturum putet, cui semel dederit aditum. *In primis finibus hostis arcendus est. Nam cum intrauit, & portis se intulit, modum a captiuis non capit.* Principijs obstandum. Nam — Sen. de Ira. lib. 1. c. 8.

Ægriùs *ejicitur quàm non admittitur hospes*

& multo *facilius est excludere perniciosa, quàm regere; & non admittere, quàm admissa moderari. Nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuiue patiuntur.* Et si *serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent:* quâ violentiâ flectent, quò volent, eos ipsos, quos possederunt? nam cum vsu possideri (ne erres) non possunt. Sunt enim ferarum instar, quæ *sæpe laniant dominos,* qui eas ceperunt. — Sen. eod. lib. c. 7. Idem de tranq. an. c. 7. Idem de vita beata, c. 14.

Distinctionum lumen] Rectè quidam eiusmodi distinctiones, extinctiones appellauit. veritatis enim & rectæ rationis lumen argutiarum tenebris obruunt, & opprimunt.

Nequid libero] Frustrà. Nam, vt ait ille,

Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet.

Et alius.

Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeò indulgent sibi latiùs ipsi. — Iuuen. sat. 14.

Quàm perniciter & perniciosè tui discipuli monstratâ hac fraudis viâ, ingredientur, currentque per eius ascensum donec eò venerint, vnde nequeant descendere, nisi ruendo? Sed tuum erat (id est, *magistri iuris & moris probi*) se præcipitantes in ruinam manu retrahere, non impellere. Tu impellis, qui sternis illis viam ad omnem turpitudinem, perfidiam, iniustitiam. Nam

Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuis, & suades minimas ediscere fraudes. — Iuuen. sat. 14.

Tum medias in illis toleras: quid super est, nisi vt ipsi ad robustam malitiam & perfectam felicibus tuis auspicijs per se irent, nisi & tu eò etiam duceres? Nam licet te robustam hanc malitiam damnare dicas: idem tamen cum de iniustitiâ loqueris, vis *principem in rebus valdè afflictis non speciosa dictu, sed vsu necessaria sequi: & abire leuiter à legibus.* Dices fortasse te non iubere sed indulgere quodammodo principi hoc nefas. Non erat opus tertio isti gradui fraudis verbo fauere, quem vltrò — Infra cap. 14. lib. 4. polit.

scansuri sunt, quos in secundo statuisti.

Iuuen. sat. 2. *Nemo repentè fuit turpissimus.*

Sed qui semel turpitudine imbutus est & scelere, haud facilè in imo stabit. Qui Leues & Medias fraudes imbibit, & magnas imbibet. Nam

—fallaciam

Terent. Andr. Act 4. sce. 5. *Alia aliam trudit*

&

Plaut. Curc. act. 1. *Semper tu scito, flamma fumo est proxima.*

Quid me accusas, inquies, si illi lineas, quas præscripsi, transcenderint? Quid ego possum, si illi peccant?

Iuuen. sat. 14. *Hæc ego nunquam*

Mandaui, dices olim, nec talia suasi.

Non suasisse videris apertè: at

Ibid. *Mentis causa malæ tamen est & origo penes te,*

qui prima illa docuisti fraudis elementa.

LIPSIVS.

Fraus vniuersè mihi hîc est, ARGVTVM CONSILIVM A VIRTVTE AVT LEGIBVS DEVIVM, REGIS REGNIQVE BONO.

THOMSONVS.

Nimis argutum est illud ARGVTVM: quin dic apertè esse consilium, callidum, improbum, malitiosum, perfidiosum. Tum nimis lene est illud, A VIRTVTE ET LEGIBVS DEVIVM: deme ergo personam: aperi frontem, dic planè, quod doces callidè; contra virtutem, contra leges non humanas modò, sed inprimis diuinas, & contra mores bonos.

Denique addis, BONO. Quàm rectè dixit Aristoteles omnes appetere bonum, aut apparens bonum, tam ineptè tu dicis ἁπλῶς illud consilium esse bono Regis & Regni, Nam sæpe

Psal. 9. *Fraudis fraude sua prenditur artifex.*

Quare non semper est regis regnique bono, nisi specie tali.

LIPSIVS.

Ea triplex: Leuis, Media, Magna. Illam appello, QVAE HAVT LONGE A VIRTVTE ABIT, MALITIAE RORE LEVITER ASPERSA. *In quo genere est mihi Diffidentia, & Dissimulatio. Mediam,* QVAE AB EADEM

ADEM VIRTVTE FLECTIT LONGIVS, ET AD VITII CONFINIA VENIT. *In qua pono Conciliationem & Deceptionem. Tertiam*, QVAE NON A VIRTVTE SOLVM, SED LEGIBVS ETIAM RECEDIT, MALITIAE IAM ROBVSTAE ET PERFECTAE. *Vti sunt Perfidia & Iniustitia. Illam suadeo; hanc tolero, istam damno.*

THOMSONVS.

Quicquid tibi Lipsi places, Plaut. Mostell. Act.2.

Interdum ineptè stultus es,

Diffidentiam & Dissimulationem suades, aspersam vtramque Malitiæ rore, & recedentem (licet haud longè) à virtute. Ab eadem virtute longiùs recedentem Conciliationem Deceptionemque toleras. At Perfidiam, quia etiam à legibus recedit, damnas. Quasi aliquid à virtute recedat, quod non idem sit deuium à legibus. Sed quas leges hic intelligis? Diuinas an Humanas? Si Perfidiam Iniustitiamque damnas, quia ab humanis legibus recedunt: cur non & Conciliationem, id est Corruptionem & Deceptionem damnas, quæ à diuinis recedunt? Sin te dicis perfidiam iniustitiamque, quia à diuinis legibus recedunt, damnare: omnes tuæ fraudes in eadem, id est, in perforatâ erunt naui.

LIPSIVS.

Nonne pro omnibus ille [Princeps] *excubat? Turpe igitur & omnibus noxium, illum* labi, errare, decipi. Cicer. Phil.

THOMSONVS.

Nosti opinor Lipsi, illud vetus, MINIMA DE MALIS. Compara ergo inter se, labi, errare, decipi: & trahere ad lapsum, decipere, corrumpere. Vtrum tibi maius est malum? quod accipis, an quod das? Illud maius in præsens videtur: at hoc reapse & maius est & sentietur in futurum. Nemo enim Deo dat pœnas ob mala illi illata, sed ob ea, quæ fecit & intulit. Nec redimenda est vel regis vel populi, vel vtriusque vita salusué momentanea æternâ morte. Ego vetus illud amplector saniter intellectum: SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO: Id est, ne salus præsens fraudi sit saluti æternæ. Ais noxium esse, principem errare: at stultum, si Cic. de offic. 3.

non insanum est, errare, ne erres; ne pecces, peccare. Quia sic

Horat serm. lib. 1. sat. 2.

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

LIPSIVS.

Dissimulatio adsumenda. quam posui, & suasi loco altero: quæ verè Diffidentiæ huius proles.

THOMSONVS.

O matre fœda filia fœdior,

& verè Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν: *Mali corui malum ouum.*

LIPSIVS.

Cic. pro Cn. Planc.

Hæc est, quæ frontem aperit, mentem tegit.

Necessaria sanè Principi, adeo, vt veteranus Imperator dixerit: nescit regnare, qui nescit dissimulare.

Et Tiberius ab eadem mente, Nullam, vt rebatur, ex virtutibus suis magis, quàm Dissimulationem diligebat.

Cic. 3. de offic.

Displicebit hoc ingenuæ alicui fronti, & clamabit. Ex omni vita simulatio Dissimulatioque tollenda est:

De priuatâ, fateor: de publicâ, valdè nego. Nunquam regent, qui non tegent.

THOMSONVS.

Iuuen. sat. 2.

Iam meritò (si vnquam) exclamet poëta:

Fronti nulla fides,

Si tuum Lipsi axioma obtinet, Necessarium esse principi frontem aperire, mentem tegere, & assuescere (vt tuam mentem Sallustij verbis interpreter) *aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua, magisque vultum, quàm ingenium bonum habere.*

Sallust. Catil.

Displicebit] plurimum. Et omnium bonorum puncta feret vox illa Ciceronis: *Ex omni vita Simulatio, Dissimulatióque tollenda est.* Quia ab Aquilij ore nos docet, simulatione, & Dissimulatione dolum malum contineri.

De offic. 3.

Ibidem.

De priuata.] Vellem acumen ingenij tui nobis explicare, quemadmodum aliquid in vitâ publicâ careat peccato, quod in priuatâ habeat.

De publicâ valde nego] Et valdè ineptè, ne dicam impiè: Negas ex vitâ publicâ tollendam esse Simulationem & Dissimulationem, cum ex priuata tollendam concedas? *quasi culpam numerus peccantium minuat: & in personis non in rebus sit accusatio.*

Hierony. Apolog. ad Pam. & Marcellam adu Ruff. to. 3.

Nunquam

Nunquam regent, qui non tegent.]

Vis ergo principem tegere mentem? Aut illa bona erit, aut mala. Si bona: cur inuides hominibus bonum? Si mala: cui vis tegat? Hominem licet celet, patet Deo. πάντα γὰρ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. *Omnia enim nuda sunt, & patentia oculis eius, cum quo nobis est negotium. Et Nihil prodest* (inquit Seneca) *inclusam esse conscientiam, patemus Deo.* Imò inter homines — Heb. 4. 13. — Apud. Lact. instit. lib. 6. c. 24.

> Αἰεὶ (:) οὔτι λέληθε διαμπερὲς ὅστις ἀλιτρὸν — Solon.
> Θυμὸν ἔχει, πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη.
> *Quisquis habet pectus scelerosum, non latet vsque,*
> *Sed tandem, latuit qui prius, ipse patet.*

Et frons illa mentita bonam mentem, simulationis dissimulationisque laruâ detractâ suam prodet turpitudinem.

LIPSIVS.

Habes de Leuibus fraudibus. ad MEDIAS *venio: in quibus Conciliatio prima, siue vt liberius dicam, Corruptio. Ea est cum callidè inclinas & allicis ad te eorum animos operasque, qui alieni iuris. O artem nimis hodie Principibus receptam!*

Quam valdè attollit Tullius, & proprium hoc esse Prudentiæ statuit, conciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere. — De offic. 2.

Quod duplici via fit, Suasionis & Doni. Rarenter illâ: hac alterâ creberrimè, vt hodie corrupti deprauatique mores sunt admiratione diuitiarum. — Ibid.

THOMSONVS.

Tu qui scripturas sacras te dicis legere, *vt melior, non vt doctior fias*, debebas in tuum commodum hanc Conciliationem siue Corruptionem, siue per suasionem illa fiat, siue per pecuniam, inde discere esse furtum, ne ad illud facem præferres, & doceres. *Non concupisces alienum.* Lex est: Quî ergo audes tu docere Principes gypsata pecuniæ manu, aut viscata suasionis lingua alienum ad se attrahere, id est furari? In sacris, in prophanis litteris documenta habes, quàm noxia fuerit hęc via ipsis vtentibus. Expleuit Iugurtha donis & largitione Romanorum multos; quo exitu? tu nosti: nam ille est tuus ager. Absolomus corda Israelitarum dulcibus — Cent. 1. epist. 59. — Exod. 20. — Sall. Iug. — 2. Sam. 15. 6.

bus alloquijs & sermone illice patri subduxit. Quis fuit huiusce Conciliationis euentus? Quasi cœlum & solum in eius ignominiam conspirassent, medius inter vtrumque suspenditur: Adeò verum vt sit illud

c. 18. 9.

οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων

Qui mala cunque alij fabricat, sibi fabricat ipsi.

Arist. 3. Rhet. dat. Democr. Eras. adag. alij dant Hesiodo. 2. Sam. 17. 23.

Deinde consultori Achitopheli (cuius verba aliquando pro oraculis fuere) quid accidit? Laqueo, vt meritus est ipse sibi carnifex vitam clausit. Dum datur ergo, resipiscite Achitopheles: ne & vos longa fiatis litera.

Cic. epist. fam. lib. 5. ep. 69.

Quam valde attollit Tullius.] Ipse ait Tullius alicubi: *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè & gnauiter oportet esse impudentem.* At postquam tu Lipsi

Proper. lib. 3.

— rupisti fræna pudoris

Non potis es *captæ mentis habere modum,*

Imò

Et pudor & probitas, & metus omnis abest.

Nec pudet te mentiri, & firma fronte mendacium Ciceroni affingere. Attollit Tullius Conciliationem: sed an tuam hanc per nefas? Non attollit. Deprimit, & prorsus vult extirpari. Cùm enim dixisset *idem esse honestum, iustum & vtile: Quod* (inquit) *qui parum perspiciunt, hi sæpe versutos homines & callidos admirantes, malitiam, sapientiam iudicant: quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam spem traducenda, vt honestis consilijs iustisque factis, non fraude, & malitiâ se intelligant ea, quæ velint, consequi posse.* & infrà: *Quæcunque homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honestandum, aut beneuolentiæ gratiâ faciunt, —— aut honoris, —— aut sicui fidem habent, & benè rebus suis consulere arbitrantur: aut si cuius opes metuunt: aut contrà à quibus aliquid expectant: vt cum reges populares'ue homines largitiones aliquas proponunt: aut postremò precio, aut mercede ducuntur; quæ sordidissima illa quidem est ratio, & inquinatissima, & ijs, qui eâ tenentur, & illis qui ad eam confugere conantur. Malè enim se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.* Vnde liquidò constat, quibus ille artibus Cõciliationem velit niti, quibus censeat Conciliantes conciliatosque contaminari. Imò tantoperè fœdam illam conciliationis belluam per pecuniam detestatus est, vt, largitionem etiam, qua rex in populum

Cic. de offic. 2.

Ibidem.

populum ſuum vſus eſſet, vnà cum condemnante rege condemnarit. Cuius verba adnectere non me pigebit. *Præclarè in Epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quòd largitione beneuolentiam Macedonum conſectetur.* Ibid. *Quæ te malùm* (inquit) *ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecuniâ corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones, non te regem ſuum, ſed miniſtrum & præbitorem putent? Benè miniſtrum & præbitorem, quod ſordidum regi. Melius etiam quod largitionem, corruptelam dixit eſſe. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior.* Sed fuit, dices, illa correptio patris priuata docentis filium: imò reſpondet tibi Cicero: *Hæc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus.* Ibid. Iam, opinor, vides quanto melius fuiſſet, Ciceronis nomen præterire, quàm in tuum dedecus eo abuti. Nam vt Κίχλα χέζει αὐτῇ κακὸν *Turdus cacat ſibi malum*: Adag. Ita tu tibi maculam incoxiſti, quam nunquam elues: quia fœdæ conciliationi Tullium facis auctorem, qui planè reprehendit reges qui volunt *imbecillitate aliorum, non ſua virtute valere.* De offic. 2.

LIPSIVS.

Quotuſquiſque eſt, cui non illæ bono atque honeſto potiores ſint? Salluſt. Iug.

Itaque ſcitè & rectè hac machinâ ſi vtare; vbique reperies, quos perniciosa libido teneat alienæ potentiæ decus atque libertatem ſuam gratificari. Ibid.

Qui & principem ſuum, & omnia eius venalia habeant: Ibid. Atque adeo (hoc reconde) *in ipſa hoſtium acie inuenies tuas manus.* Tacit. Agric.

THOMSONVS.

Caue Princeps quicunque es, hac machinâ ne vtaris: &

Πέπνυσο μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασι μηδ' ἀδίκοισι Theognis.
τιμὰς, μηδ' ἀρετὰς ἕλκεο μηδ' ἄφενος.

Tu ſape: nec factis iniuſtis néue pudendis
Vimue decuſue tibi, diuitiaſue trahe.

Alto & ſincero animo ſperne mihi ſemper compendia turpia, & Idem.

Κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα
Commoda, quæ ſecum publica damna trahunt.

Quidquid

Quidquid stygia delibuti palude prudentiam velint fraude miscere: *Prudentiæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* (Pro. 23.4.5.)

Non iam luis pœnas fraudis?

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus: (Tibull. lib. 1. eleg. 9.)

&

Sperato Deum memorem fandi atque nefandi. (Virgil. Æn. 1.)

Qui si non in hoc seculo te, at tuos tuo magno damno puniet, vt ex vero dixerit ille vates, (Horat. epist. lib. 1. ep. 2.)

Quidquid delirant reges plectuntur Achiui.

Imò & in futuro *te arguet & tecum expostulabit.* (Psal. 50.21.) Quare tu atque adeo vos omnes principes audite monitorem principem, qui iubet vos

Qui ius ab alta sede plebe dicitis, (Psal. 2.)

Errorum tenebras depellere, discere verum,

Seruire Domino cum tremore,

ne si pedibus eatis in improborum sententiam, vnà cum illis pereatis.

Qui & principem,] Finge iam Lipsi Principem alienos corrumpentem, tum illorum Dominum referentem illi Principi gratiam, & pecuniæ hamo illius ad se trahentem seruos, & fieri vt ait poeta (etsi non hoc sensu)

certamina diuitiarum, (Horat. epist. lib 1. ep. 5.)

tum teipsum, ad quæ te duxit *Langius,* (De Constant. Lib. 1. c. 1.)

munita tenere (Lucr. lib 2.)

Edita doctrinâ sapientum templa serena,

Despicere vnde queas, illosque videre

Certare ingenio, &

Noctes atque dies niti præstante labore

Ad magnas emergere opes rerumque potiri.

Hic tuam fidem (etsi trita satis est) an horum principem alterum sapere, alterum delirare; an vtrumque sapere diceres, an ambos

Errare, atque viam palantes quærere vitæ (Lucr. ibid.)

Quandoquidem promiscuè omnibus principibus consulis hac fraudis machinâ vti: promiscuè omnibus auctor sceleris & ruinæ? Non consulo, dices, sed si scitè & rectè hac machina vtantur, qui libertatem suam illorum potentiæ parati sunt gratificari, inuenturos dico.

At

At quid hoc est aliud, dicere, quàm rectum esse quendam vsum illius machinæ, nempe Corruptionis? id est, quid hoc aliud est, quàm corruptionem docere? Est ergo ô

IMPERATOR,

cur amplo tuo diplomate Lipsi libros ornes.
Est ô

REGES,

PRINCIPES,

cur Lipsio faueatis: qui tam potente machinâ vos instruxit: certè: nisi alios aduersus vos: nisi vos in vos eâ instruxisset, vt vos mutuò destrueretis.

LIPSIVS.

Quid? quod in sacrum, & indiuiduum thorum penetrauit ista fraus? Rem turpem! & fœminæ etiam inducuntur, siue emuntur, ἵν' ἐξαγγέλλωσι κατὰ τῶν ἀνδρῶν: vt efferant, & enuntient, quæ contra maritos. Arist. polit. 5. c. 11.

In Tacito legi: Secreta quoque eius corrupta vxore prodebantur. Tacit. 4. Annal.

THOMSONVS.

Etsi doctrinam das ciuilem; hic tamen narrare potius quid factum, quàm docere quid sit faciendum, vis videri: & nihilominus doces. Sicut & *Histrionici impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas saltando exprimunt, docent.* Lact. epit. c. 6.

LIPSIVS.

Iam Deceptio est, cum inducis alium in tua commoda, errore aut mendacio obiecto. Quod licitum probumque in Principe esse, volunt boni auctores. Magnus Plato censuit—— Et noster Plinius:—— Quinetiam nescio quis poëta.—— Et principes sanè promptè audiunt.——Decipiunt verbis, literis, legatis, atque adeo ipsos legatos.—— Et quid diducam? vno verbo, cum Lysandro plerique sentiunt, τὸ ἀληθὲς τοῦ ψεύδους κρεῖττον εἶναι, ἑκατέρου δὲ τῇ χρείᾳ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν τιμὴν ὁρίζεσθαι: Verum falso esse melius, sed vtriusque dignitatem, & præstantiam vsu discerni.

Atque hæc, humanam prudentiam si consideras, proba. Quidni? Ad bonum enim publicum referuntur. quod insitum in iis malitiæ virus facilè exsugit, & absorbet. Vt medicamentis laudabiliter venena miscemus, salutari illo fine: sic videntur

Plato 5. de Rep. ἐν φαρμάκου εἴδει τὰ τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι: instar pharmaci hæc talia esse.

Sall. Iug. *Adde receptissimos mores, & quòd hæc* consuetudine iam pro nihilo habentur.

Imò necessitatem etiam. quòd contra tot insidiantes, vix est vt se suosque aliter tueatur bonus Princeps. Quibus causis ego quoque prædixi, tolerari Medias has fraudes à me, non tolli.

THOMSONVS.

Deceptionem describis: principi licitam esse, auctoritatibus & rationibus probas: quod non satis possum mirari. Cùm enim Deceptio mendacio nitatur, cuius *Diabolus parens est*, quo quisque magis ei assuescet, eo magis se Diaboli filium ostendat, necesse est: nec vnquam firmum erit edificium, quod arenoso mendacij fundamento nitetur. Præterea, *quamuis* primò *suauis est hominis panis mendacij*, tamen *postea implebitur os eius calculo*. *Nunquam* Lipsi, *nunquam mentiendum est, quia mendacium semper aut fallit, aut nocet.*

Ioh. 8. 44.

Prou. 20. 17.
Lact. epit. c. 6.

Probi auctores] In eo minimè probi. Quia rem minimè probam, probam licitamque dicis censere. Et quis ille è mortali semine, qui, quod Deus damnarit, probare debeat? At illi, dices, Deum damnasse nescierunt. Verum. Neque nos illorum placitis niti debemus, qui, quid Deus iusserit, quid vetuerit ignorarunt, nisi siquid rectè & secundum sacras Scripturas fortè dixerunt. Quasi ego Regis mei præcepta & leges debeam negligere, quia contra illas magni quis ingenij scripsit, dixit, sensit. Hæc esset *stultitia sepelib. lis.*

Plaut. Cistell. act. 1.

Iam qui sunt illi probi auctores? Plato, Plinius, & nescio quis poëta. Nescis quis sit ille poeta, & tamen tibi est probus auctor: quare? an eo maximè nomine, quòd fraudē probarit? opinor: Nec tamen illam fortasse fraudē probauit, quam tu toleras. Quid enim? si de eo mendacio loquitur, quod dicitur ad alterius salutem aut vitam seruandam, non ad palliatum illud bonum publicum assequendum? de quo genere mendacij opportunius infrà dicetur. Porrò, dixerit Plato dixerit Plinius, dixerit ille poëta terræ filius, probam esse hanc fraudem: quantum credis apud verè probos, id est pios illorum habitura dicta momentum? nisi Scripturarum sacrarum

regulæ

regulæ consona : nullum. Quid enim sunt quàm στοιχεῖα τοῦ κόσμου *elementa mundi*: id est vana, leuia, futilia, noxia, & eo ipso reijcienda, quòd fallacia. Quibus spretis audite (Principes) Apostolum Dei præconem: Colosſ.2.8.
Μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους *Nolite mentiri inuicem.* Et rursus: Ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος, λαλεῖτε ἀλήθειαν ἕκαστος κατὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ. ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Si non auditis Apostolum : at Regem audite. *Vtquid diligitis vanitatem : & quæritis mendacium?* Si nec illum auditis : conuertet se ad Deum, & dicet : *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Nec cessabit ingeminare: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* At vulgo hæc dicuntur & priuatis hominibus, non Regi, cui publica salus curæ esse debet, & quem propterea *turpe & noxium labi, errare decipi*: Imò & vobis dicit : *Reges qui iudicatis terram, seruite Domino in timore: & exultate cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Quid est seruire Domino, nisi præceptis eius parere, veritatem sequi, & stygium illud mendacij semen auersari? Colosſ.3.9. Eph.4.25. Psal.4.3. Psal.5.7. Psal.12.4. Lips sup. Psal.2.10.11.12.

Principes sanè promptè audiunt] Non est mirum. Imbecillæ sunt hominum mentes, & facilè, & ex naturâ inclinantur in malum. Et Reges vt in magis arduo, quàm ceteri mortales, loco sunt constituti, ita opportuniores casui, & leui adulationis vento ab excelso deturbantur. Dico eos casui opportuniores, quia non tantum, vt tu ais, promtè, sed sæpe auidè adulationes audiunt, & illam mendacij, fraudis, Deceptionis, Corruptionis, quæ ad orcum ducit, viam palponum suasu ingrediuntur. *Sed deseratur* (si fieri potest) hæc *via perditionis & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur.* Illi, inquis, promtè audiunt: nec tu, ne audiant, vetas, sed addis calcar, & quod dicitur, *igni oleum.* Lact. instit. lib. 7. c. 27.

At vos reges, etsi adulatorum & atheorum insania hisce vos opinionibus velit imbuere: & fraude, deceptione, mendacio vti : bono publico scelus prætexere, & (quasi Dî essetis) quidquid velitis, dicant posse facecere: scitote tamen, etsi *Di* (vt vates vos appellat) *estis,* Psal.82.6.7.

vos

vos ſicut homines morituros, & administrationis redituros rationem: &, ſi iniuſtè vixeritis, ſicut magnæ arbores magno cum fragore & multarum minutarum ruinâ proſternuntur, ita vos magnis cum turbis & denſa populi ſtrage caſuros. Quare

Virg. 6. *Diſcite iuſtitiam moniti.*

nec ſinuoſis anguibus, qui in ſinus veſtros irrepunt, credite. Non triſtibus ſorbis, ſed dulci pomo primos noſtros parentes veterator ille Serpens decepit. Qui ſæpe mutat pellem, nunquam ingenium. *Transformat ſe Satanas in Angelum lucis*, quo faciliùs hominibus imponat. Itaque μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ Θεοῦ ἐστι. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Si Lipſius diuino verbo dicit conſona, quiſquis es, audi: ſi diſſona, ſi contraria:

Cor.

1. Ioh. 4. 1.

Non ſi quid turbidus ille
Eleuat, accedas, examenué improbum in illa
Caſtiges trutina.

Perſ. Sat. 1.

Eſ. 8. 20. &c. *Ad legem magis, & ad Teſtimonium. quòd ſi non dixerit iuxta verbum hoc: non erit ei matutina lux.*

Apul. metam 5. *Decipiunt verbis*] In ipſa Deceptione docenda lectorem tuum decipis, cum priori tuæ fraudi *concolores fallacias* (vt ait Illa apud Apuleium) *adtexis*, & ſub narrationis ſpecie doces, & lectorem callidè tuo imbuis veneno. Et ais Principes decipere, verbis, literis, legatis, atque adeo ipſos legatos: certè nimis

Plaut. Bacchid. act. 3.

Multi more iſto atque exemplo viuunt, quos cum cenſeas
Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimonijs,
Linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide.

Nec tu minuis numerum ſed auges, cum illorum factum non reprehendis ſed probas. Et quaſi non ſit ſatis tibi in peſtem incidiſſe, alios etiam peſtifero tuo Spiritu afflas. Nec ſolus vis perire, ſed cum ſplendida Principum turba.

Rom. 6. 23. *Vtriusque dignitatem.*] Cuius ſtipendium eſt mors, eius dignitas quæ, precor, eſſe poteſt? mendacij ſtipendium mortem eſſe, cum ſit peccatum, nemo audebit negare, niſi idem diuinorum oraculorum veritatem ſimul & auctoritatem velit reſpuere.

Hæc, humananam Prudentiam ſi conſideras proba] Vt aliquando

quando Demades sanguine Atheniensium legis latorem Draconem leges suas scripsisse dicebat: ita ego te Lipsi tuam fraudem aspidum dentibus pro stilo in tabulis exarasse iure dicam. Quæ enim aspis perniciosiore calliditate vtitur? Sed quid tu hîc fraudis doctor vis Principem mendacij defensiones & ipsa mendacia probare, si humanam considerat prudentiam? An per humanam Prudentiam committi debet aliquid, quod per diuinam Sapientiam debet omitti? Porrò, vt vana, ita male-callida, nec sibi constans est illa conditio [*Si humanam &c:*] Quia videri vis innuere, siquis diuinam consideret sapientiam, non debere eum eiusmodi Deceptionem probare. At infrà cum ex Scripturis ostendis non esse mentiendum, postremò tamen, vis Augustinum Scripturarum sacrarum, id est diuinæ Sapientiæ & legis interpretem tua illa mendacia probare. Ita vt siue quis humanam Prudentiam, siue diuinam Sapientiam consideret, te arbitro, liceat mentiri. Plutarch. in Solone.

Quidni? ad bonum enim] Aliud est Lipsi, tuo consilio aliquid ad bonum publicum referre, aliud illud ipsum in commodum publicum vt vertat, efficere: Deinde, non quidquid nobis videtur faciendum propter bonum vel publicum, vel priuatum, idem fieri debet: Nec mala, teste Apostolo, vt inde bonum eueniat, patrari. Rom. 3. 8.

Publicum] Publicum hoc pallium non magis istam fraudem tegit, quàm priuatum olim Diogenis vanitatem. fuit illud, & est hoc pertusum; tralucet: vitium patet.

Quod insitum] In Galliâ cùm essem, audiui quendam cùm æstate feruidâ, crebra pocula meri exhauriret, reprehensum, non se sed tempestatem bibere, respondisse; tum eum, qui arguebat, excepisse, caueat ergo sibi tempestas, ne se inebriet. Dicit similiter Lipsius non principes, non populum, sed bonum publicum exsugere malitiæ virus; quod in his pestiferis consilijs est insitum: sed (faceti illius responsum huc mihi liceat flectere) caueat bonum publicum ne se veneno hoc exsugendo inebriet, imò enecet.

Vt medicamentis venena, &c:] Argumenta pro mendacio audiuimus ab auctoritate Platonis, Plinij, poetæ S.

P. & alterum à bono publico. Hoc tertium est à simili. Sed quali? Omnis similitudo (vt solet dici) claudicat vno pede, sed hæc vtroque clauda, nihil habet rectum. Quid enim ibi rectum esse potest, vbi non ens cum ente comparatur? Venenum ens est, nec caret suo bono. Quia ens cum bono & vero reciprocatur. At quod falsum est, non est verum, itaque neque bonum, neque ens. Quare, licet venena laudabiliter medicamentis misceamus, tamen vero falsum miscere nequimus.

Nam

Stat ratio contrà, & secretam gannit in aurem

Pers. sat. 5. *Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.*

Plaut. Trinummo. act. 3. *Adde mores*] Mores Lipsi? Malo perniciosoque

Ambitio more nunc sancta, libera 'st à legibus.

Scuta iacere, fugereque hostis, more habet licentiam.

Petere honorem pro flagitio, more fit.

Mores leges perduxerunt etiam in potestatem suam.

Cic. Catil. 1. At hic clamabit Tullius, O MORES, qui hæc impunè fieri permittunt! Hi scilicet sunt mores probi, quorum tu te magistrum fateris.

Et quòd hæc consuetudine iam pro nihilo habentur]

Quid tum postea? Si ab hominibus mala consuetudine imbutis hæc pro nihilo habentur, ergóne & ab omnibus pro nihilo debent haberi? Abi cum tua consuetudine. Metam. 6. Illa enim Apuleio est, *vna de famulatione Veneris.* Quam tamen non est mirandum te Lipsi magni facere ancillam, cùm eius Dominam Venerem piè *precêris. Vestra enim antiqua, vera & vnica illa bona religio, Dei etiam, quem colitis, seruos seruasque venerari permittit. Sed vt vno verbo de consuetudine tua absoluam, disceptatore vtar Varrone. *Qui ad consuetudinem* (inquit) *nos vocant, si ad rectam, sequamur. Si ad eam inuitant, quæ est deprauata, nihilo magis sequamur.*

* Suprà in voto ad Venerem.

Varro de ling. Lat. lib. 8.

Imò necessitatem.] Quartum argumentum erat à consuetudine, eáque malâ: quintum est à necessitate, eáq; nullâ. Nodum in scirpo quæris Lipsi, necessitatem, vbi non est. Id non est vtile, nedum necessarium, quod non est honestum, vt sæpe iam dixi: nec vlla est necessitas vtendi mendacio, cum possis sine eo quiduis pati, imò cum debeas potius, quàm per mendacium saluti

consulere,

consulere, aut fraudem niti fraude & frustrà eludere. Sic enim fraude & dolo sibi

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cùm etiam cauet. Plaut. Capt.
Etiam cum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est. act. 2.

Non fraude, non mendacijs liberantur homines è malis. Nam quemadmodum auiculæ eo arctiùs tricis tenentur, quo maiore ope nituntur se extricare, & facilè ab homine aduenientе expediuntur; Ita qui se ex angustijs, quibus premuntur, suis viribus fraudibusque volunt extrahere, frustrà luctantur. Quid ergo Principi faciendum? Conciliandus illi Deus votis, non hostis satellites & serui donis: non mendacio quærenda salus, sed veritati arctè adhærendo. Hæc si fecerit Princeps, & se totum Deo consecrarit: sub vmbrâ alarum Dei erit. Ceterùm si *habitat in adiutorio Altissimi* cum fiduciâ *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum.* Psal. 90. Postremò, quandoquidem ad necessitatem, quasi ad triarios, venisti & potentissimum hoc argumentum vltimum ad veritatem iugulandam seruasti, audi quid de ea dicat Tertullianus: *Non admittit status fidei, allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi.* Tertull. de Coro. Mil. *Væ* ergo *ijs, qui condunt leges iniquas; & scribentes, iniustitiam scripserunt.* Esa. 10. 1.

Quibus causis] sublatâ causâ, tollitur quod inde efficitur: atqui Lipsi omnes tuas causas iam non causas esse ostendimus, & malè, impièque à te allatas dicimus, peiusque id quod ex his efficitur à te tolerari, id est *à magistro iuris & moris probi*, qui *corde & corde loqueris*, te magistrum moris probi profiteris, & doces mendacia, Psal. 12. 3. quod, quis non miretur? quandoquidem est ipsi rerum naturæ contrarium. Quid enim? μήτι ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρόν: *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem aquam & amaram?* Iac. 3. 11. Non potest fieri. At os tuum ius fasque professum, docet nefas. Quare desine de tuo ingenio κατακαυχᾶσθε, καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας, *gloriari & mentiri aduersus veritatem.* Ibid. vers. 14. vers. 15. Desine tuam ciuilem doctrinam & prudentiam aut sapientiam iactare. οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπίγειος, ψυχική, δαιμονιώδης, *non est illa sapientia supernè veniens, sed terrestris, animalis,*

Ibid. *diabolica.* Vera enim illa, est ἀνυπόκειτος *sine simulatione* eâ, quam tu hîc Principi inculcas.

LIPSIVS.

Quid tamen, rectam illam diuinamque legem si considero? hæreo valdè & sudo. Abnuere illa nobis videtur: & à simplicissimo & purissimo Deo hæc effata manarunt.

Prou. 3. Abominatio Domini est omnis illusor.

Eccl. 7. *Item:* Ne velis vti mendacio vllo. nunquam enim prodest *frequentatio illius.*

Et vt claudam omne effugium, ecce palam de Principibus:

Prou. 17. Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.

Quid obtendis tu politice? publicum bonum? Sed enim vir

August. epist. 8. *Sanctus occurrit:* & mentiri *inquit*, non licet, nec pro Dei laude.

Sanè ægrè vos aut me hîc expedio nisi quod idem ille Antistes

August in Psal. 5. *suggerit, esse genera quædam mendaciorum, in quibus non sit magna culpa, sed tamen non sint sine culpa. In eâ classe Corruptiunculas, Deceptiunculas censeamus; idque tunc saltem, cum à bono legitimóque rege contra malos vsurpantur, Boni communis caussâ. Si aliter; peccatum, & grande peccatum*

Prou. 10. *sunt, quidquid me rideant veteratores ab Aulâ.* Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.

THOMSONVS.

Quid tamen] vltimorum temporum procul dubio hæc sunt vltima: in queîs non tantùm charitas in homines refrigescit, sed & euanescit omnis pietas in Deum. αὐτὸς ἔφα in scholâ Pythagoricâ principium erat, vltra quod non erat inquirendum: In ecclesia locutus est Deus, & tamen, *quasi non sufficiat vox spiritus*

Tertull. de Idolat. *sancti, vt vltra sit deliberandum,* Lipsius hæret & dubitat, sit necne id faciendum, quod ille vetuit: &

Virg. Epig. de liuore. *sudat frigidus intuens quod odit,*

frigutitque cum legem diuinam insanis suis placitis videt aduersari, quam vellet extinctam. Nec hoc nouum

Lact. instit. lib. 5. c. 9. est. *Veritas ideo semper inuisa est, quod is qui peccat, vult habere liberum peccandi locum.* Sed

Iuuen. sat. 13. *prima est hæc vltio, quod se*

Iudice nemo nocens absoluitur,

prima pœna Lipsî quod sudat, & quod eum

diri conscia facti Ibidem.
Mens habet attonitum, quòd *surdo verbere cædit,*
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Quòd
Vt debet sibi pœna semper ipse est. Virg. vbi sup.

Sudat, inquam, & miserè torquetur, dum ex hoc fraudum luto non potest vnum pedem extrahere, quin in eodem alterum altiùs defigat, & ei adhærescat.

Abnuere videtur] Hæ sunt tuæ Lipsi strophæ, recta deprauare, fucare simplicia, inuoluere vera, falsa veri specie ornare, denique mangonem te peritum præstare. *Videtur,* inquis: non videtur abnuere, sed omninò abnuit.

„ *Quid obtendis tu politice?*] Id est, quid ego Lipsius
„ Politicorum librorum sator, & ciuilis doctrinæ no-
„ uus auctor obtendam? bonum publicum? Quod
„ paulò antè, omne mendaciorum & malitiæ virus ex-
„ sugere, & absorbere dixi. At id reclamante Augusti-
„ no frustrà videbor facturus. Sanctus enim ille vir, ne
„ pro Dei quidem laude mentiendum esse prædicat.
„ Ergo
„ *Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem,* Iuuen. sat. 6.
„ *Hæremus.*
„ Habeo. Idem ille Antistes suggerit, esse quædam ge-
„ nera mendaciorum, in quibus non sit magna culpa,
„ sed tamen non sint sine culpa:

Non ita pro foribus stamen tralucet arachnes,

vt tu hîc Lipsi. Cum enim timeres, ne ad mendacium tolerandum non satis futurum esset in tuis verbis auctoritatis, & momenti, quæsiuisti (vt ait ille) *bonum malæ rei auctorem:* eóque magis quòd ille ipse, quem quæris, alibi eam rem condemnârit, vt aut is sibi contradixisse, aut non ita strictè in priore illo loco locutus esse videatur. Itaque loquens de mendacio, audacissimum illi mendacium affingis: quasi ille aliquod tale mendacium, quali tu hîc vtendum censes, tolerandum, aut sine magnâ culpâ esse putarit. Sed nos vbi subæratum tuum aurum Logicæ indice ostenderimus: Sanctum illum virum ab iniuriâ & impuris tuis vnguibus, (Sen. de vita beat. c. 12.)

— contactu qui omnia fœdant Æn. 3.

Immundo,

Deo dante vindicabimus.

Argumentum ergo, quo probas Corruptiones & Deceptiones esse sine culpâ, hoc est,

Aliqua sunt mendacia (vt ait Augustinus) in quibus non sit magna culpa.

Atqui Corruptiunculæ, & Deceptiunculæ sunt in hac mendaciorum classe.

In Corruptiunculis ergo & Deceptiunculis non est magna culpa.

Agyrtarum saccaria, quamdiu latet, imperitis emtoribus imponit, at vbi euoluerint & explorauerint, agnouerintque imposturam, in ipsum impostorem, si præstò est, inuolant, &, vt ait ille, *pugni excipiunt hospitio*: sin abijt, absenti saltem irascuntur. Et quis non tibi iustè irascatur Lipsi, cùm passim te homines ludere, & pro syllogismis paralogismos dare videt? Si esset tibi vllus pudor: meminisse deberes illud

Plaut.

—citharœdus

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem,

Horat. de Arte poet.

nec semper impingere in idem saxum. Quis absque stupore & irâ legat, Corruptiones & Deceptiones Lipsianas principi licitas esse, quia Augustinus dicit quædam mendacia esse sine magnâ culpâ? Sanctæ ergo pij viri relliquiæ expergiscimini, loquimini, nec sinite vestro silentio impudentem hominem albis inuehentem equis de Augustino quasi captiuo triumphare, & velut mancipio ad pudenda ministeria abuti. Iamiam respondentes audio:

August. in Psal. 5.

Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut, vt proximis prosimus, mentimur. Illud primum in iocando, ideò non est perniciosissimum, quia non fallit. Nouit enim ille, cui dicitur, ioci causâ esse dictum. Secundum autem ideò mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam.

Ecquid audis Lipsi? Vbi sunt tuæ Corruptiunculæ & Deceptiunculæ? Illæne iocantur? Illasné intelligit, cui dicuntur, ioco dici? Illæné retinent beneuolentiam? Dices fortasse retinere; Etenim princeps quia benè vult suis, decipit alium Principem; Sed illa non est beneuolentia,

uolentia, velle bonum proximis cum damno aliorum, sed simpliciter alijs prodesse velle. Sed præstat Augustini mentem Augustini verbis aperire. *Illud verò* (inquit) *quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est. Tanquam, verbi gratia, sicui gladius commendatur, & promittat se redditurum, cum ille, qui commendauit, popscerit: si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est, tunc non esse reddendum, ne vel se occîdat, vel alios, donec ei sanitas restituatur.* Si tuæ Deceptiones tales sunt, approbantor: Sin secus, ad orcum, vnde ortæ sunt, redeunto: Tu interim erubesce, qui fidem tuam in bonis auctoribus citandis prodis, & animi malitiam denudas. Et quamuis tui te sectatores suspiciunt, & ad cœlum vehunt, si sapis, Ibidem.

Respue quod non est, tollat sua munera cerdo. Pers. sat. 4.

Corruptiunculas, Deceptiunculas] Non doctorem in Stoâ, sed parasitum videor mihi in popinâ audire. Nam sicut parasitus apud Plautum, augendo voces, extenuat res, cum ait

Logos ridiculos vendo, agite, licemini, Plaut. Sticho. Act. 2.
Cauillationes, assentatiunculas
Ac periuratiunculas Parasiticas:

Sic tu Lipsi hîc facis, nisi quod ille vendat, tu pro liberalitate tua des gratis. *Videor* (inquis) *liberaliter satis, & plenâ, quod dicitur, manu tibi promsisse è gemino prudentiæ fonte: & quidem probum & merum. Fasné est, vt leuiter misceam, & iungam aliquid è fraudium fæce? Ego puto.* Accipe ergo *Diffidentiam, Simulationem, Dissimulationem, Corruptiunculas & Deceptiunculas*, quæ etiamsi non sint sine culpâ, sunt tamen sine magnâ. Sic tu ludis in re seriâ. Quid si aliquis diceret Euam comedisse pomulum, & propterea commisisse tantùm peccatulum? Nonne insanire is diceretur? A sano certè diceretur. Et adhuc per vipereum tuum os Lipsi iubet Satanas vetitum fructum carpere, Dei mandata transgredi, Corrumpere, Decipere, Mentiri, & talia peccata appellas tu Corruptiunculas & Deceptiunculas; quid est, si non hoc est insanire? Contrà, si *tibi clamat quispiam* honestior paulo & ingenuus, *nequid insidiosè, nequid simulatè, nequid fallaciter* fiat: illum irridendo, [*purum*] & spernendo, [*puerum*] vocabis. Lips. lib. 4. Polit. c. 13. Lips. lo. sup. cit.

Sic vos politici

Horat. sat. lib. 1. sat. 3.

Virtutes ipsas inuertitis,

& contrà, ipsa vitia, aut virtutum, aut præclaro saltem nomine ornatis. Tibi enim, per fraudem assequi, quod per virtutem nequeas, est *mutare velificationem*. Tibi eidem (cum Plinio) *Decipere, pro moribus temporum, Prudentia est*. At si non potes vitium pulchro nomine honestare, saltem extenuando, niteris turpitudinem illi demere. Ita tibi *Corruptiunculæ & Deceptiunculæ vt non sint sine culpâ, tamen magnâ carent*: Næ tu plurimùm erras Lipsi. Nam ista Deceptio non caret maximâ culpâ. Nam, (inquit Tullius) *cum duobus modis, id est aut vi, aut Fraude, fiat iniuria: fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: vtrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiæ nulla capitalior, quàm eorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur.* Porrò quicunque in vno legis capite peccat *reus est omnium*. At nemo ita frontem deposuit, quin mendacium contra vnum legis caput esse fateatur. Quare quicunque mentitur, aduersus totam legem peccasse, & maximè deliquisse dicetur.

Cic. de offic. lib. 3.

Iac. 2. 10.

Id tunc saltem] Frustrà Deceptionem ad Personas, ad finem restringis. Ineptum est illud [*tunc*.] Nam si vllo tempore Principi permittis mendacia, ipse sibi permittet quouis. Nam semper est illud in omnibus & omni tempore verum,

Terent. Heaut. act. 3. sce. 1.

Deteriores omnes sumus licentiâ.

A bono legitimóque] Quis ille Princeps qui non putet se bonum? quis qui non legitimum se asseret in suo regno & principatu? An tum demum mendacijs licebit vti, cùm boni legitimíque ab alijs dicentur? At sint sanè boni, sint legitimi, mendacium tamen bonum legitimumque reddere nunquam poterunt. Sed contrà, tum ipsi incipient esse mali, cùm mendacio vtentur. Malè ergo restringis mendacium ad bonum legitimumque regem. Nam *non in personis sed in rebus est accusatio* vt suprà ex Hieronymo dixi. Nec regi licebit mentiri, quod non licet priuato. Imò eo ipso quòd rex est, minùs, quàm priuatus, mentiri debet. Si *Historicos* consulis, *id est, vt tu censes, fontem ipsum Prudentiæ ciuilis*: ex illis disces

Hieron. apol. ad Pammach. & Mar. aduers. Ruffi. tom. 3. Lips. de consil. & forma lib. Polit.

ſces *in maxima fortuna minimam eſſe licentiam:* quia regum *facta cuncti mortales nouêre.* Qui ſi vani mendaceſq; ſunt, non ſolum contumelijs ſe faciunt obnoxios, & infames fiunt: ſed & multitudinem ſecum ad mendacia trahunt. Quia Sall. Catil.

—totus componitur orbis Claudianus.
Regis ad exemplum.

Nam *mores ac vitia Regis imitari, genus obſequij iudicatur.* Et tu cathenam illam agnoſcis Lipſi, quâ alligantur Rex & populus. *Arctâ* inquis, *quadam cathenâ deuincti ſumus, qui imperamur, cum imperante. & vt in corpore mens ſana aut inſana eſſe non poteſt, niſi vt pariter vigeant, aut langueant eius functiones: non item in hac ſocietate Princeps. Ad virtutem ille præit? ſequimur. ad vitia? inclinamus.* verè ſanè & benè. Quare magnopere miror quî tibi in mentem venerit, Principem, mentiri, Decipere, corrumpereque docere, qui ſcieris tam arctâ cathenâ populum cum rege teneri, vt nullò eat hic, quò non ille ſequatur. Miror te iudice illa Lact. inſtit. lib. 6. c. 6. Lipſ. in præf. Polit.

—quæ Iuuen. ſat. 8.
Turpia cerdoni, Voleſos Brutoſque decere.

Boni communis causâ] Quamuis iam ad faſtidium & obtenſum eſt hoc publicum ſeu commune bonum, & reiectum, refutatum, & rectæ rationis calcibus obtritum: tamen ad extremum, vnâ ad hanc mendacij arcem proſternendam, ex Senecæ tui armamentario machinâ vtar depromtâ. *Duas* ergo *reſpublicas animo complectamur, alteram magnam & verè publicam, qua Dij* (vellem dixiſſet *Deus*) *atque homines continentur, in quâ non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos ciuitatis noſtræ cum Sole metimur: alteram, cui nos aſcripſit conditio naſcendi.* Si ergo tu Lipſi commodum publicum obtendis: noris magis ſtudendum eſſe commodo reip. magnæ & verè publicæ, quàm noſtræ non verè publicæ, cui nos naſcendi conditio aſcripſit. Propterea, quòd quæ proportio eſt hominis priuati ad integrum regnum, eadem eſt regni vnius ad vniuerſum orbem. Si ergo non debet priuatus mentiri in ſuum commodum & alterius damnum, ne magni illius corporis membra mutuis mendacijs ſibi inuicem ſint exitio: nec Princeps maximum De vita beata c. 31.

magni

magni illius corporis, & rei verè publicæ membrum, ceteris eiusdem corporis membris sua fraude, fraudi esse debebit: nisi fortasse magnam illam remp. minore curâ tutandam putes, quàm angulum eius aut glebulam, regnum vnum. Postremò, miror cùm in prolepsi tuâ volueris publicum bonum à politico obtensum videri reijcere, cur hic velis sub *boni communis* nomine, idem ad mendacium defendendum obtendere: nisi aliud fortè dicas *publicum bonum*, aliud *commune*.

Quidquid me derideant veteratores:] Nihil est quod verearis Lipsi.

Iuuen. sat. 2.

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

At

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?

Cic. de Diuin. lib. 2.

Hoc monstri simile esset, si Te aliquis ab Aulâ veterator subsannaret. *Mirari se aiebat Cato, quòd non rideret Aruspex, Aruspicem cùm vidisset.* Et ego certè plurimùm mirarer, si te, veteratorem è scholâ, cùm videret Veterator Aulicus, non rideret, si non arrideres tu & corrideres: quia, Aruspicum instar, fucum vterque facitis imperitæ multitudini.

LIPSIVS.

Sequuntur MAGNAE *fraudes, quas ad bina capita reduxi, Perfidiam & Iniustitiam: eas palam verbis amplecti, aut tueri paucos video, nimis multos factis. Nam de Perfidiâ; quoties per cauillos & argutiolas, fœdera elusa vidimus aut pacta?*

THOMSONVS.

Tricipitis & Cerberei tui monstri hoc tertium est caput. priora duo veritatis claua cecidit. hoc vltimum, eadem franget & comminuet. Perfidiam non apertè definis, sed callidè, dum (quasi cum dolore) fœdera sæpe per cauillos & argutiolas elusa exclamas. Nec tu vis videri defendere, homo scilicet probus: defendisti tamen mendacia & Deceptiones suprà, id est cognata Perfidiæ peccata, vt suprà ex Cicerone ostendimus. Nam quicunque aliud agunt, aliud simulant, Perfidi sunt.

LIPSIVS.

LIPSIVS.

Iam altera Fraus, Iniustitia est: cùm scilicet contra iura & leges se & sua improbè potiùs quàm callidè augent. Ab hoc fonte isti actionum riuuli.

Eminentes illustresque viros perdere clàm vel palam, siue in exilium mittere, tanquam æmulos, & dominationi quosdam obijces. Arist. 5. Polit. c. 10.

Huic rei struere caussas, vel sponte oblatas arripere. Tacit. 2. Anna.

Nam illud nimis mite & dilutum putant, specie legationis aut honoris seponere. Idem. 1. hist.

Tollunt potiùs. quoniam, ex scito Aulæ veteris, mortui non mordent. Plut. in Pomp.

Et laudatus ille Cæsar etiam, quoscunque digno & probabili crimine deferre non poterat, occultâ quadam viâ tollebat. Dio. 43.

Imò nonnullos, à suis, & qui eiusdem partis erant, per insidias, in ipsâ acie tolli curauit. Ibid.

THOMSONVS.

Iam sæpius ostendimus te infeliciter Lipsi distinguere: nam quæ in principio separas, in fine concurrunt. Dicis enim iniustitiam regum esse, cum contra leges & iura se & sua improbè potiùs quàm callidè augent: & tamen huius improbitatis riuis cùm Principes irrigas, id est cum eius varia genera & exempla proponis, ea das, quæ summam habent calliditatem. Nonne *illustres viros clàm perdere, huic rei caussas struere, occultâ via tollere*, & rursus, *à suis & earundem partium per insidias curare tolli*, est callidum consilium? Nonne quicunque ista faciunt, aliud agunt, aliud simulant? Nonne ergo malè-callidi? Hæc pro distinctione, quæ satis inepta: iam venio ad rem, prorsus impiam. Impiam dico: quia non satis habuisti Iniustitiæ fontem aperire, nisi & deduceres in riuos plurimos, vnde principes venena biberent, ad suam aliorumque perniciem. Quæ hæc impudentia, improbitas, impietas, Principes partim naturæ vitio in malum pronos, partim palponum venenis ægros, accersito malorum exemplorum agmine impellere ad nefas? Et quo magis Principes impia facta sequantur, scelerum auctores etiam laudis nomine honestare? *Laudatus ille Cæsar* (inquis) *tollebat occulta viâ, & per insidias tolli*

curabat. Certè vt Cæsar fuerit laudatus: hîc locus omnium minimè debebat eius laudis meminisse. Nec enim si Cæsar in quibusdam laudatus erat, & in omnibus erat laudandus, nec quia laudatus fuit, & imitandus erit, siquid peccauit, *neque* (vt Hieronymi verbis de Origene vsurpem) *ita debemus bona eius recipere, vt mala quoque recipere cogamur.* Non cogo, dices: sed occulta & callidâ viâ inducis reges ad flagitium. Verùm

Hieron. epist. aduers. Vigil. tom. 3.

Nil opus est celeri subdere calcar equo.

Ouid. de rem. am. 2.

Omnes homines cò incumbunt. Quod siqui adhuc sunt reges *insolentes malarum artium*: tu accendis.

Sall. Catil.

Ergo ignem cuius scintillas ipse dedisti,
Flammantem latè, & rapientem cuncta videbis.

Iuuen. sat. 14.

Fortasse,

Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In caueâ magno fremitu leo tollet alumnus,

& merito quidem tuo. Atque vtinam orbis terrarum hostis communis tuum *incendium tuâ ruinâ restingueres.* At eas in multorum mentibus fraudum faces accendisti, quas sola cum illorum vitâ mors opprimet. Non est quòd sensum non tuum in tua scripta inferri queraris: quasi non ea senseris, quæ te sensisse, nimis est manifestum. Quorsum enim illos fraudum (vt ita dicam) articulos omnes, & acetabula, neruos, musculos, medullas, quasi per anatomiam oculis obiecisti lectoris, nisi vt partium illarum vsum partim ex te disceret, partim ex tuis elementis conijceret? Tale quippiam cùm timeret vir doctissimus, Iohannes Bodinus, & hac in parte prouidus, noluit sortiariorum, sagarum, magorum, & veneficorum omnium nocituras artes & veneficia pleraque, quæ callebat, vel semel nominare, nequis vel eius abuteretur narratione, vel ipse malas artes docere potiùs, quàm detegere videretur.

Sall. Catil.

In Cautionibus ante Politica.

In Dæmonomania.

LIPSIVS.

Ab eodem capite manat, aliena appetere, & insidiari temporibus veluti in morte aliquâ Principis. Opportuni *enim* magnis conatibus transitus rerum.

Tacit. 1. hist.

Siue in discidijs finitimorum & turbis: iuxta enim Aristophanem, anguillis tunc captura:

In Equit.

Et isti magni, in partem acciti, aduersus omnes valescunt.

Tacit. 6. Ann.

Leges

Leges aliquis inclamet? audiet illud: non cessabitis nobis gladio accinctis, leges prædicare? Plut. Pomp.

Et hoc alterum: Qui isto (*gladio*) præualet, is optimè de finibus disputat. Idem Apopht.

Hæ voces, & in animo illa decreta: quidquid valdè vtile sit, id fieri honestum, etiamsi antea non videretur. Cic. 3. de offic.

Item: Sua retinere, priuatæ domus; de alienis certare, regiam laudem esse. Tac. 15. Ann.

Si principes iustitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupauerint, ad casas & egestatem reuersuros. Cic. 3. de Rep.

Habes in parte istorum scholam. Nam vniuersam vt excutiam, nulla res me inducet. Quid autem opus? Ex oraculo scriptum,

Vt nemo doceat fraudis & scelerum vias, Sene. Thyest.
Regnum docebit.

Ego illud potius videro, Tolerandáne hæc talia an damnanda.

THOMSONVS.

Dic Lipsi quæso, si accuratissimè iniustitiæ artes te docturum profitereris, ecquid amplius, ecquid improbius iniustiusque, quàm quod dixisti, esses dicturus? Certè extremæ iniustitiæ, vt ita dicam, corpus hîc est. Das opportunitates temporum, locorum, personarum: Legis ictum exis *gladio*: honesti *loricâ*, nudam alioqui turpemque Iniustitiam tegis, Reges, laudis *classico* ad Iniustiam vocas, cùm ais *regiam esse laudem de alienis certare*.

Deinde ipsam Iniustitiam iustam facis: quia honesta est: honestam, quia vtilis. At dices, te non dicere iustam, sed Lipsi qui honestam dicit, dicit iustam, Idem enim teste Cicerone est iustum, honestum & vtile. At nec ego voco honestam; dices, sed hoc esse aliorum in animis decretum: & hæc gentilium, & iniustorum hominum esse scita. Sed cur tu Lipsi illorum memoriam refricando, & insanis opinionibus recitandis fraudem, quæ Cic. 2. de offic.

πολλὰς ἀνθρώπων ψυχὰς ἄϊδι προΐαψε Hom. Iliad. α.
Permultas animas hominum deiecit ad orcum,

ab ipso orco reuocas? Cur totum antiquitatis virus in

vnam

vnam offam coniecisti Regibus deglutiendam? Cur fœtente illâ animâ, quam purulentis veterum gentilium cadaueribus, epulis tuis vnicis, infecisti, puras mentes afflas? Cur omnes vetustatis maculas, in rasas iuuenum principum tabellas, vis ex tuis næuosis tabulis transferre? Cur in seniorum cordibus fraudem firmare? Non alio fine tuâ operâ vsus est *Homicida* ille vetus ad carcinomata hæc edenda, quàm vt talis pestis omnes inuaderet, essentque omnes prædæ aut prædones. Nec cùm magnorum virorum exempla mala exhibuisti Principibus spectanda atque sequenda, tuo animo satisfecisti: sed & rationibus voluisti euincere, esse iniustè viuendum. Quarum prima est, *necessarium esse in paruis à iustitiâ abire, qui saluam eam velint in magnis.* Dixerit Iason Thessalus, dixerit Plutarchus, dixerint omnes mortales: id falsum est. Semper vtilis, semper honesta iustitia; contrà, Iniustitia, turpis & exitiabilis inuenitur. IVSTITIA STABILITVR SOLIVM. & contrà, IMPERIVM SEMPER AD OPTIMVM QVEMQVE A MINVS BONO (qualis est iniustus) TRANSFERTVR.

Ioh. 8. 44.

Iasoni Thessalo tribuit Plut. in Polit.

Prou. 16. 12.

Sall. Catil.

Secundum argumentum est à contentione vtilitatis publicæ cum priuatâ iniustitiâ; Publicæ vtilitatis personam sæpe iam tuæ fraudi detraxi, quam si te non pudet instar histrionis sæpius redeuntis ad scenam resumere, at me pudet auellere.

Tertium argumentum est à potestate Principis, qui non solum iuxta leges, sed legibus imperare potest, vsu sic suadente. Indigna vox homine, nedum viro liberalibus disciplinis imbuto. Nam (nequis erret) nec tu, nec ego hic malas leges intelligimus, sed bonas, quæ iniuriam prohibent. Quibus, regem dicere, imperare, id est, (vt ego secundùm tuum sensum interpretor) aduersari, quarumque custos esse deberet, desertorem, imò corruptorem esse posse, eique pro arbitrio licere peccare, quid est, nisi latissimam flagitijs portam aperire? Ille enim, cùm peccare illi fuerit libitum, semper, si volet, interpretabitur, vsum suadere.

Quartum est partim à contentione duorum inter se malorum, partim à successu & opinione. Illinc imminet

tibi

tibi metus & damnum, nisi vrbem prouinciamue tuo statui peropportunam occupaueris: hinc promtum est remedium, iniuria, & alieni inuasio. Quid hic eliges? damnum & metum, an iniustitiam cum securitate? Iniustitiam. Quibus auctoribus? illis, *quibus hæc talia semper licita & proba, si cum successu,* qualis erat impudica illa Phædra; quæ cùm priuigni sui amore arderet, sibi inquit blandiens, Vide Lipſ. c. 14. lib. 4. Polit.

Forsan iugali crimen abscondam face. Sen. Hippo.

Honesta quædam scelera successus facit. Lege c. 14. lib. 4. Polit. Lipsi.

Non facit, scortillum: erras. & tu Lipsi impudentiam tuam prodis, qui meritriculæ multitijs vis iniustitiam palliare. Ego verò, dices, non pallio. Sed quorsum ergo hæc omnia, quæ præcedunt, quæ sequuntur? Omnem sexum, omnem ferè conditionem hominum ad iniustitiam tutandam adducis, Aristotelem, Democritum Philosophos, Tacitum Historicum, Pompeium & Cesarem, magnos Romanæ militiæ duces, exercitus Imperatores, Principes ciuitatis; nec subantis mulierculæ auctoritatem spernis. Nisi iniustitiæ faueres, nunquam tanto opere istorum sententias conquisiuisses, quibus incauta & imbecilla ingenia deciperes homo vafer.

LIPSIVS.

Illud saltem dederim, Principem in rebus valdè afflictis, & aduersis, non speciosa dictu, sed vsu necessaria sequi. Curt. 3.

Tunc, inquam, abire leuiter à legibus; sed non nisi sui seruandi causâ, augendi nunquam. Necessitas *enim* magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit. *Et, vt poëta ait,* Sen. Declam. lib. 9.

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens: Sen. Herc. Oet.

Hoc ipsum timidè. Deus, Deus nonne palam reclamat? qui igneo illo spiritu omnes istas humanas argutiolas difflat

Quasi ventus folia, aut peniculum tectorium.

THOMSONVS.

Indulges Principi id, quod, si quis verba respiciat, tolerandum videtur, sin tuam mentem, minimè; necessaria vsu rebus afflictis sequi: quæ verba quemadmodum tu intelligas, indicant, quæ sequuntur: cùm ais, te permittere Principi, leuiter abire à legibus, quasi illud sit

necessarium. At nihil est necessarium, quod non honestum, quod non iustum, vt sæpius iam dictum est, quàm oportuit. Sed quî audes tu hæc talia, cum non sis Papa, indulgere? Ille contra legem & contra Apostolum (sic loquuntur Decretales) dispensat. Tu quis es, qui id audes? *Maledictus* (inquit Moses) *qui non permanet in sermonibus legis huius*: & Paulus optimus eius interpres, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*: & Iacobus: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Tune ergo qui *fœnum* es, qui *guttula aquæ*, qui *puluisculus*, qui *nihil*, qui *minus nihilo*, Principi permittis à legibus abire? Principi inquam legis custodi? Tu qui te scripturas dicis legere, vt sis melior, non vt doctior, si ista, quæ ex Mose, ex Paulo, ex Iacobo dixi, ignoras; lege & disce, vt sis doctior: Si non ignoras; meditare, vt sis melior, & simul memineris tibi, nisi resipiscas, alios docenti à legibus abire, maledictionem impendere, *minimumque te in cœlorum regno futurum.* Nec diligentiùs te velim Scripturarum sacrarum textum scrutari, quàm tu vis Doctrinæ tuæ politicæ tuum lectorem. Si feceris, inuenies venam diuitem, non metalli alicuius, sed aquæ viuæ, qua irrigatus meliores, quàm iam fers, fructus feres. Sed nescio tamen an feres. Nam, vt *quædam terræ, imbribus sicciores fiunt, veluti in Narniensi agro, quod admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre puluerem*, ita fortasse tuum ingenium, his scatebris irrigatum, ad bonos fructus ferendos aridius fiet & tardius.

Decretal. Greg. de conces. præb. tit. 8. c. proposuit. in glossa lit. l. & de voto & vo. redemti. tit. 34. c. 9.
Deut. 27. 26.
Gal. 3. 10.
Iac. 2. 10.
Esa. 40. 6. 15. 17
Cent. 1. epist. 59.
Matth. 5. 19.
In notis ad c. 8. lib. 3. polit.
Plin. lib. 31. c. 4.

Necessitas] Necessitatis patrocinium, tale est, quale erat illud Fati, quod impudens siue fur siue latro, apud Iudicem sceleri suo obtendebat. Accusatus enim, respondebat se scelus illud non potuisse vitare, fuisse fatum, vt perpetraret. Sed impudenter excusanti sapienter responsum est, fatum etiam esse, vt scelus iugulo lueret. Ita & necessitatem obtendens flagitio, audiet & necesse esse flagitiosum pœnas dare. Stultum est tuum necessitatis argumentum Lipsi, & impium, quam quia tu hic repetiuisti, & mihi venia dabitur, si, quod prius de eâ ex Tertulliano dixi, repetiuero. *Non admittit* (inquit ille) *status fidei, allegationem necessitatis. Nulla est*

Tertull. de Coro. mil.

necessitas

necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Est ergo hoc argumentum Senecæ declamatoris nullum: videamus & quale sit Senecæ poëtæ.

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Certè siquis te in alium impellat, ita vt à te impulsus vel excutiat sibi cerebrum cadendo, vel frangat ceruicem, non dixerim Te Lipsi, sed eum qui te impulerit, nocentem. Sed si tu ipse prudens & volens abis à legibus, & iniuriam alteri infers, quia fortasse metuis ne tibi inferatur, an tu innoxius dicêris, nec sponte peccasse? At hoc est quod tu Principi permittis, nimirum, abire à legibus: cui licet non abire, si libet: Si ergo abit, sponte abit, & sponte est nocens. Atqui hic fusi sunt triarij.

Hoc ipsum timidè] *Quidquid non est ex fide, est peccatum.* Rom. 14.22.
Hæc itaque tua doctrina Lipsi peccatum est, aut certè cum peccato, quia titubanter, nec ex fide doces: nec enim potes. quia vt ipse ais, reclamat Deus. Caue ergo princeps ab his Lipsi alloquijs:

φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ 1. Cor. 15.33.
maii sermones corrumpunt bonos mores:

& proborum potiùs libros lege.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι. *A bonis enim bona disces.* Theog.

Sin improborum fœturis & fœtoribus animum pascis: quantumuis iam rectus sit

— ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. *Perdes mentem, quam habcbas.* Idem.

LIPSIVS.

Et profectò libero ore effabor, quòd Europa tot motibus agitatur, quòd reges & regna ardent seditionum flammâ & bellorum; veram fortasse, iustamque caussam esse, Administrationem apud plerosque parum veram aut iustam.

—σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, Hom. Iliad. π.
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι Θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες
— deprauant publica iura
Iustitiamque fugant, diuûm nil verba verentes.

Ideóque meritò quem deserunt, deserit: &
τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ' ἔτι δώσει Iliad. α.
Causâ horum pœnas misit Deus, & quoque mittet.

THOMSONVS.

Quemadmodum serui illi nequam, qui dominis suis nunquam gnauam operam dederunt, iam discessuri officiosissimi

ficiosissimi volunt videri, (quia exitus rerum meliùs ferè quàm initij meminimus) vt extremo illo actu, non si fauoris aliquid sibi pariant, saltem dominorum iras frangant. Ita tu Lipsi, postquam Simulationem, Dissimulationem, Corruptiones, Deceptiones; Mendacia, Perfidiam, Iniustitiam, omnem fraudem docuisti, quæ pium lectorem & probum possent offendere, nunc in extremâ huius libri aut tractatus de fraude periodo, aliquid probi præ te fers: & quos studium fuit in præcedentibus corrumpere, eos Principes nunc videri vis corripere, quasi non vera, quasi non iusta sit apud illos administratio; atq; tali παῤῥησίᾳ etiam iram principum in te accendere. Sed illud [FORTASSE] tam nos ab opinione tui candoris, quàm te ab irâ Principum soluit, saltem hac in parte. Ceterùm pius Princeps, cuius *cor Spiritus sanctus fide purgauit*, tibi (non dubito) succensebit: & perspectâ perpensáque fraudis malitiæque vi tacitâ, quâ cæcum ad turpia ducebas & iniusta, clamabit

Act. 15. 9.

Theogn.

Σῶμα καταισχύνεις καὶ νόον ἡμέτερον:
Αἰσχρὰ δ' μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ καὶ πολλὰ διδάσκεις,
Dedecoras animum, corpus & omne meum:
Nolentemque doces violenter turpia multa:

Et te, tuamque Fraudem & Prudentiam politicam execrabitur, & diris deuouebit.

Aduersus



Aduersus

IVSTI LIPSI

ΨΕΥΔΟΠΑΡΘΕΝΟΝ.

ASPRIC.

Liber secundus.



Allensem Diuam cùm nuper dedi; meritò iungetur hæc altera, ad quam non solùm viri magni & religionis nostræ Antistites, sed ipse meus animus, vocarunt.

THOMSONVS.

Iam iterum insanis Lipsi,
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas? Lucr. 3.

Post Hallense tuum idolum examinatum, conuictum, reiectum, explosum, das Aspricolle? Et quod iam parturis? Non pudet te vosque adeò omnes Romanenses, pro virgine pura, casta, & fruente iam in cœlis Deo, publicum prostibulum prostituere in terris? Hæc etenim iam (Idolum scortum spirituale.)

— quo non prostat fœmina templo? Iuuen. sat. 9.

Meritò] scilicet; vt scitum ex his facias idolorum iugum. *Altera*] Quæ malum! est hæc altera? Ipsa virgo beata non est altera & altera, sed eadem: tum idolum illud, etsi sit alterum, tamen non est diua. At cur vocas diuam, alteram & alteram? An quia alius locus est *Collis asper ab Hallis*, & à locis vbi virgo colitur, eam denominatis? Si ita est; cur non etiam Deum vocabitis

 Hallensem

Hallensem & Aspricollem? An quia Virgo Deipara ibi à vobis colitur, Deus autem non colitur?

Ad quam non solùm] Duas das tuæ scriptionis causas, externam vnam, magnos viros, & religionis vestræ Antistites, alteram internam, tuum animum, quarum alteram vt credam, facilè adducor. Nam quemadmodum *Atheniensium facta olim pro maximis celebrabātur, quia prouenêre ibi Scriptorum magna ingenia*, qui ea verbis extollerent; ita & vestræ religionis Antistites, (Sall. Catil.)

Qui sui quæstus causâ, fictas suscitant sententias, (Ennius apud Cic. 1. de Diuin.)

fore sperabant, vt Aspricollis idoli miracula, quæ nunquam fecit, pro veris haberentur, si tuum nanciscerentur ingenium, si illorum fabulas tua pagina ornaret,

— dare pondus idonea fumo. (Pers. sat. 5.)

Quare non mirum est, callidas illas vulpeculas vt orbem ludificare pergerent, tuum ingenium sollicitasse.

Alteram causam (quemadmodum tu illam intelligis) vt credam, non adducor. Tuum dicis animum, te ad hanc scribendi prouinciam vocasse. At qualiter affectum? piè. Hic liceat mihi Epicharmi dictum in ἄσωτον,

οὐ φιλάνθρωπος τύγ' ἐσσὶ ἔχεις νόσον, χαίρεις διδοὺς, (Plut. in Public.)

Non es benignus, morbum habes, gaudes dare,

vt flexit Plutarchus in Domitianum, ita in te flectere,

οὐκ εὐσεβὴς τύγ' ἐσσὶ ἔχεις νόσον, χαίρεις γράφων

Non es tu pius, morbum habes, iuuat scribere.

Nec enim tu magis scriptitare & ruspari potes desinere, quàm scalpere scabiosus.

LIPSIVS.

Diffundantur hæc miracula, & eant in secula.

THOMSONVS.

Diffundere tu potes Lipsi, vt eant in secula, non potes. Nam *commenta delet dies.* Et πᾶσα (inquit Christus) φυτεία, ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος, ἐκριζωθήσεται. *Omnis planta, quam Pater meus cœlestis non plantauit, exstirpabitur.* (Cic. de nat. Deo. lib. 2.) (Matth. 15. 13.)

LIPSIVS.

Diuæ noua gloria, miraculis fides adstruatur.

THOMSONVS.

Primus, inquit Lactantius, *sapientiæ gradus est, falsa intelligere, secundus, vera cognoscere*: vt contrà, germana (Lactan. instit. lib. 1. c. 23.)

ferè omnis erroris caussa est, quòd οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται: *vsque adeo à vulgo hominum negligitur veritatis inquisitio, & ad ea, quæ in promtu sunt, sunt proniores.* imò plerique agnitâ veritate, tamen *conniuent fabulæ; & intra conscientiam veri fidem prementes, malunt pro vero celebrari, quod pectoribus humanis dulcedo fingentis infudit.* Sed nos nolumus ij esse. Quare primùm videbimus an ipsa virgo iam faciat miracula; deinde etsi faceret, an propterea coli debeat. Ἔρχεται νὺξ ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι: *Nox venit* (inquit Christus) *cùm nemo potest operari*: vbi per *noctem*, quin tempus illud post decessum intelligat, non est dubitandum; vt in eodem versu, per *diem* intelligit hanc vitam. Thucid. lib. 1. Macrob. Satur. lib. 5. c. 17. Ioh. 9. 4.

Huc faciunt verba Apostoli ad Hebræos, ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ [Θεοῦ] καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ· *qui intrauit in requiem eius* [Dei] *ipse etiam cessauit ab operibus suis*: nec aliter sensisse Patres, ex Epiphanio constat: *postquam portæ* [cœlorum] *sunt clausæ: & coronæ datæ: & qui decertarunt, quiescunt* &c. At dices fortasse vita hac functos cessare quidé ab operibus quæ natura faciebant, at facere miraculosa nunc à cœlis. At nulla distinctio veritatem eludet. Vtitur Deus hominum ministerio dum in terris sunt. At postquam naturæ debitum soluerunt, quis apex Scripturæ sacræ docet, eorum opera vti Deum? Si à cœlis mittit ministros, mittit Angelos, nec tamen ad hæc sanationum ministeria: Nam fabulosam illam Raphaelis curationem spernimus, & ad scenam iure relegamus. Heb. 4. 10. Epiphan. cont. Catha. hære 59. Tob. 12. 14.

Iam etsi Diua à cœlis miracula faceret, an propterea tu Lipsi colendam diceres? tu illi gloriam nouam adderes? At in vero miraculo & liquido Petrus admirationem non admisit, nedum gloriam passus fuisset sibi dari. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται τί θαυμάζετε ἐπὶ τούτῳ; ἢ ἡμῖν τί ἀτενίζετε, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει, ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν ἐδόξασε τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν: *Viri* (inquit) *Isaelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, &* Act. 3. 12. 13.

Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum. Neque ergo verisimile est beatam Virginem miracula patrare, neque æquum, si patraret, vt ei gloria detur, quæ tota quanta quanta est, Dei est Deóque à nobis debet tribui.

LIPSIVS.

In sensibus nostris pleraq; gesta. Quid etiam? ne fraus & fucus imponant, publico mandato Illustrissimi Mechliniensis Antistitis explorata & inquisita, à Reuerendissimo Antuerpiensi Episcopo Ioanne Miræo: *qui scripto ea, cum fide & industria digessit, & consignauit. Ab illo hausi: itemque à viro docto, prudenti, pio,* Philippo Numanno, *qui etiam lingua nostra Belgicâ diuulgauit. Lege igitur & crede.*

THOMSONVS.

Sensuum vestrorum omnium reijcio testimonium, partim enim oculi vestri glaucomate impediti sunt, ne videant, partim præstigiæ Diabolicæ illis imponunt, vt aliud videantur sibi videre, quàm quod vident. Mentes vestras Siren illa Romana incantauit, atque adeò meretrix illa Babylonica scortationum suarum philtris inebriauit, vt quid videatis, quid audiatis, nesciatis, quidquid tamen videtis, quidquid auditis ab ea, placeat: Ita vt iam necesse sit, vt Spiritus Sanctus vos irriget, & quod bibistis venenum meracum, non diluat, sed abluat, & deleat.

Nec Antistitem religionis vestræ magis quàm sensuum vestrorum nobis probatur testimonium. Antistitibus auctoribus has fabulas scripsisti, quos iam ad illarum veritatem stabiliendam, (imprudentiùs nescio, an impudentiùs) adducis. *Digna* sanè est *illa patella* hoc *operculo*. Illa nimis liquida est stultitia. liquida? imo crassa. Commentum hoc cùm lego, Romuli illa ἀποθέωσις mihi in mentem venit. Sublato Romulo (vt creditum est) à Senatu Romano, Iulius Proculus à Patribus subornatus est, vt plebi mentiretur, visum sibi Romulum, humano habitu augustiorem, eumque iussisse delubrum sibi facere plebem, dixisse se Deum esse, & Quirinum vocari. Peruenit res ad Patres, qui publica auctoritate rem à se confictam amplexi confirmarunt. Non omninò aliter Religionis Romanæ Antistites & Purpurati patres

Adag.

Vide Lact. lib. 1. c. 15.

patres confictas fortè à se fabulas, fortè ab alio quopiam, Lipsio auctores fuerunt, vt vulgaret, certi sua auctoritate approbare: vulgauit ille, hi approbarunt. laudat ille Antistites, nec illi illum minus: sic *mutuum scabunt muli*. Sed hæc calliditas *pellucet quasi laterna Punica*, cui Episcoporum pallia non sunt tegendæ. Plaut. Aulul. act. 3.

LIPSIVS.

Varietatem tantam non habent: neque stilus noster colores, vt sic dicam, aut ornatum.

THOMSONVS.

Quis audiat, quis legat sine bile,

Nil intra est oleam, nil extrà est in nuce duri? Hor. epist. lib. 2. epist. 1.

Non sunt colores, vbi

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta? Lucil. apud Lactan. instit. lib. 2. c. 22.

In ipso libri tui limine, nihil spiras, nisi *coronam è floribus* Diuæ tuæ *plexam, è vicino eius horto decerptam, quæ sensus suauitate, animum admiratione afficiat, atque adflet.* Cap. 1. Diuæ Aspric.

Quid? quòd totum librum carmine, tanquam Lucil.

Emblemate vermiculato

variasti. quod non obscurè in his, quæ proximè sequuntur, testaris.

LIPSIVS.

Versiculos interim miscui, quasi paritatis illius condimentum.]

THOMSONVS.

Stilus tuus non habet colores, sed habet condimentum. Id est non habet colores, sed tamen habet. Nam si proprietatem verborum sequeris, nec color est in verbis, nec condimentum. Sin hæc translatè sumis (vt facis) non potest stilus carere colore, qui habet condimentum, nisi fortasse carmina tua velis ab oratione pedestri diuidere, ne pars sint tui libri; Sed non potes: Nam capitis octaui pars, & totum caput duodecimum, item vicesimum tertium, sunt carmina, & pars historiæ. huius condimenti accessio, fit pars totius. Sed quid est condimentum? irritamentum gulæ. Non es ergo pictor Lipsi, sed es opsopœus, qui, quemadmodum quæ corpore quæstum faciunt, cerussâ, perpurissâ faciem fingunt, labella minio, linguam verborum melle illinunt, vt instar piscium incautos iuuenes inescent, & in

nassam suam trahant: ita pedestri huic mendacio addis numerorum condimentum, vt *fel tuæ amaritudinis* melle temperatum auidiùs, & quasi tuburcinando deglutiatur. Nec noua est hæc fraus, aut nuper nata, sed perantiqua. Doctissimus ille Theodoretus & Idololatriæ hostis acerrimus, ait duplici fraude ad homines idolomaniæ mancipandos vsum esse Diabolum, poetarum fascino, id est incantante carmine, & eorum omnium opera, qui simulacra effingebant, vt istâ technâ doctiores, hac ipsam fæcem popularem & illeteratam, à Deo auocaret. Næ tu ergo Lipsi habes, quo glorieris, quòd *mundi Principi* tam gnauam præstes operam, & venatori isti facias retia, & piscatori hamos ad homines captandos. Hoc poetarum

[Margin: Deut. 29. 19. Heb. 12. 15. — Theodor. serm. 7. de sacrif. — Ioh. 12. 31.]

Odi profanum vulgus & arceo,

[Margin: Horat. Carm. lib. 3. od. 1.]

Qui non Deo laudando, moribusque formandis, sed mendacijs ad iuuentutis, imò ad generis humani corruptelam propagandis inuigilant, & fabulas satagunt condire. De quibus verè iam dicatur Euphronis versus

[Margin: Euphron Comicus apud Athenæum Dipnosoph. lib. 1.]

οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει.

Aut certè

οὐδὲν ὁ ποιητὴς τοῦ μαγείρου διαφέρει

nihil poeta à coquo differt.

I. LIPSI

DIVA VIRGO ASPRICOLLIS.

THOMSONVS.

Hic tuus truncus non magis est Diua, non magis est Virgo, quàm tu Iustus, etsi illi *Diuæ* & *Virginis* nomen dedisti, tibi *Iusti* arrogasti. Habeat ergo vterque suum: sit illa *truncus*, tu IODOCVS.

[Margin: Iodocus nomen Lipsi.]

CAPVT. I.

LIPSIVS.

EN coronam alteram ad te, Diua, adfero, è floribus tuis plexam, è vicino horto tuo decerptam. Et recenter decerptam: vt etiamnunc sensus suauitate, animos admiratione afficiat, atque adflet.

THOMSONVS.

THOMSONVS.

Solent citharœdi περετίσματα quædam dare, & προαύλια vtricularij, ante iustam modulationem: & tu Lipsi, antequam venias ad tuam historiam & carmina, hîc das quædam frequentamenta, similis illorum, nisi quod illi post περετίσματα iustam exhibeant modulationem, tu nihil des, nisi mera περετίσματα.

Dicis ergo, te ad Diuam, tuam adferre coronam: vbi stultè simul & impiè alludis ad Gentilismum. Nunquam enim veri isti, & puriores Christiani coronas viui ferebant, aut mortuis dabant. Testis Cæcilius aduersus Octauium, qui eo nomine culpat Christianos. *Non floribus* (inquit) *caput nectitis: coronas sepulchris denegatis.* Et Tertullianus, coronas ferre, inter Christianos appellat sacrilegium. *Tam* (inquit) *contra naturam est, florem capite sectari, quàm cibum aure, quàm sonum nare.* —— *Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes: penes nos verò, etiam elogium sacrilegij in Deum, naturæ Dominum & auctorem.* Nec minor, sed maior erit impietas, si ad illum ritum alludis, quo Idololatræ strupos (vt loquitur Tertullianus) aut coronas floreas (vt Plautus) idolorum capitibus, aut foco, dum profana illis sacra facerent, imponebant: quem tu Lipsi, cuius anima Plautinas offas redolet, non potes ignorare. Sed tamen non erit alienum, his, qui eiusmodi ritum aut non legerunt, ostendere, aut inter legendum, neglexerunt, ex Plauto & alijs, in memoriam reuocare. Sic ergo Plautus alicubi:

Arnob. aduer. gent. lib. 8.

Tertull. de coro. mil.

Ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat,
Dat mihi coronas.

Plaut. Aulul. in Prolog.

& rursus:

Nunc tusculum emi, & hasce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco, nostro Lari.

Plaut. ead. act. 2.

& alibi:

Larem coronâ nostrum decorari volo.

Plaut. Trin. act. 1.

Et quisquis ille est, qui serta vocat:

Non ego thure modo, aut pictâ tua templa tabellâ
Ornabo, & puris SERTA *feram manibus.*

& Iuuenalis:

Iuuen. sat 12.

Ite igitur pueri linguis animisque fauentes,
SERTAque delubris, & farra imponite cultris.

& mox:

Inde domum repetam, graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cerâ.

Hunc stilum dum tu Lipsi nimis affectas & Christianæ simplicitati vis immiscere, non potes non culpari.

LIPSIVS.

Vbi estis qui paulo vetustiora eleuatis, aut illuditis?

THOMSONVS.

Eccos nos Lipsi, non sparsos, sed per magnam Europæ partem densos, quod tibi valdè dolet, & dolebit: eccos nos, inquam, qui dicimus, & asseueramus, infinita ante hanc ætatem miracula, multis tempestatibus omni deposita fronte ficta fuisse. Nec id nos soli dicimus: sed inter alios eminens, nobiscum Iohannes Bodinus, religionem nostram nunquam amplexus aut professus, scriptorum (si vnus excipiatur Lipsius, qui

Pers. sat. 4.

Scit — iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernere, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo,
Et potis est nigrum vitio præfigere theta)

acutissimus pariter & candidissimus censor dicit, & vetustiora illa miracula reprehendit, aut si non miracula, tamen illorum scriptores. Qui postquam vanitatis coarguisset Procopium, *Plenus* (inquit) *est eiusmodi fabulis Nicephorus Callistus, quibus etiam Zonaras, alioqui probatus historicus, & Nicephorus Gregoras sæpe delectantur: ac interdum Eusebius Cæsariensis: cuiusmodi est illud, quod se vidisse, omni asseueratione confirmat, plantam in basi, quâ nitebatur ænea Christi statua (quam ante annos 300, fœmina sanguinis profluuio curata SERVATORI dicarat) sponte natam, quæ, cùm primùm extremam statuæ vestem attigisset, omnia morborum genera curabat. Talibus nugis referti sunt Antonini, Adonis, Saxonis Grammatici, Sigeberti, Phriculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Vrspergensis, Annonij, Turpini, Guaguini, ac veterum annalium libri.* Idem Paulum Venetum carpit, qui vanum narrat miraculum fieri in mari Caspio, tempore ieiunij. *Paulus* (inquit) *Venetus ait mare Caspium piscibus semper vacuum esse, præterquam*

Ioh. Bod. metho. hist. c. 4.

ieiunij temporibus. Et eos postea perstringit qui ab Antonio Gangrænam infligi hominibus dictitant: quam & illum curare vestri homines non pauci putant. *Gangrænam* (inquit) *ineptè dicam, an impiè nostri acceptam ferunt Diuo Antonio, qui à plerisque in Italia, & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè maiore metu colitur, quàm Deus immortalis.* At cur tam ardente voto colunt? an quia miraculosè Gangrænam curare credunt? An potius, vt Lactantius Græcos responsuros dicebat, *se alios Deos colere vt prosint, alios ne noceant*: ita tu responsurus es, Idololatras vestros, Antonium non tam, vt prosit, quàm ne noceat, colere?

Idem c.5. eiusd. lib.

Lactan. instit. lib.1.c.20.

Vides ergo Lipsi magni nominis viros, miracula, partim audita, partim quæ ipsi se vidisse asseuerant, narrare, quę tamen emunctioris homines naris non credant. Quare non est quod dicas, *vbi estis, qui paullo vetustiora eleuatis?* quasi nos ij simus soli, qui eiusmodi logos spernamus. Sed quid ego tanto opere in Bodini auctoritate huc accersenda laboro? cùm nec tu ipse Lipsi vetustiores illos vndiquaque probes scriptores, sed arguas vanitatis. *Multo minus* inquis, *Georgio Cedreno aurem præbeo*: & mox: *quoties vanitatum manifestus ille auctor?* Ita vt illud Nazianzeni (*quæ hodie laudamus, eadem postero die vituperamus*) iure possim inuertere. Nam *quæ hodie vituperamus, postero die laudamus.* Hodiè vanitatis reum facis Cedrenum, Scriptorem non ita recentem: postero die omnia illa paullò vetustiora (quorum partem & ille scripsit) nos nisi amplectamur, accusas, vt antiquitatis & veritatis contemtores. Sed fortasse dices, te nolle nos omnia amplecti, quæ remotiores illi paullò ab hoc æuo auctores scripserunt. Quid ergo vis Lipsi amplectamur? quid vis reijciamus? an quæ tu es amplexus, & reiecisti? nimium tibi arrogas, vt omnes te ducem sequamur. Nihil ab istis scriptoribus erratum putas, nisi quod tu animaduertisti? Neminem præter te vana, ficta, falsa, à veris discernere posse arbitraris? Tu tibi vni rectum tribuis iudicium? *Necesse sanè est sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat,* sed imparem arbitratur.

Lips. de Magnit. Rom. lib 4.c.11.

Greg. Naz. orat. 21. in Apologet. fugæ.

Quintil. instit. orat. lib.1.c.3.

LIPSIVS.

Ecce noua nouitia: ecce in oculis atque in auribus omnium

nostrum

nostrum gesta : ecce concursu, plausu, fructu gentium celebrata. Quæ fides potest esse in rebus humanis, si hæc non est? Quanquam ista ipsa attendite, fidem etiam vetustioribus illis vel ab exemplo struunt. Si enim nunc facta, & videmus : cur nuper & olim abnuam fuisse?

THOMSONVS.

Lips. Polit. lib. 4. c. 14. ex Sen. epist. 3.

Miror plurimùm te, qui ex Seneca docuisti, *& omnibus credere & nulli, vitio esse*, tam vehementer postulare, vt ea nos vera credamus, qualia multa prioribus facta seculis, cum mendacio nobis prodita, & alij ante nos animaduerterunt, & nos, si illi non comperissent, tamen iudicassemus.

Cic. de Nat. Deo. lib. 1.

Veruntamen *nos non sumus ij* (vt ait Cicero) *quibus nihil verum videatur* : sed qui perpauca, quæ à vobis in religionis negotio dicuntur, mendacio carere credamus. *Qui semel malus* (iuris verbum est) *semper præsumitur malus.* Sæpè sæpè iam Deus detexit vestros dolos : sæpe miracula ad tenebras vestras tegendas conficta, veritatis luce palam fecit. Et qui porrò vobis credemus, quorum hoc vnum est studium fraudes adinuenire, & per Thaumatopædiam, Idolomaniam docere? Quoties agyrtæ vestri, postquam suppositijs miraculis

Virgil. Æn. 1.

ignotum argenti pondus & auri

stultæ plebeculæ emunxissent, fraudis manifesti fuere? Quales heu! pastores? gregem non pascunt sed tondent : imò deglubunt, & vorant. Væ illi gregi, cui hi canes additi custodes, *funguntur* (vt ait ille) *officijs luporum.*

Auctor Rhet. ad Heren. lib. 4.

At finxerint, dices, aliqui miracula : hæc tamen nouitia in oculis atque auribus omnium nostrum gesta sunt. Non in tuis oculis Lipsi. In epistola enim ad Lectorem, te à *Ioanne Miræo*, & *Philippo Numanno* hæc hausisse dicis. Istos oculos, testes corruptos, istas aures modò reieci, & etiamnum reijcio. Quid enim non dicet os impudens oculos vidisse, aures audiuisse, quod cor impium excogitârit? Sed & vulgus vidit, & audiuit, forsan dices. Audiuit vulgus narrari miracula : vidit vulgus multos ad lignum Aspricolle concurrere : sed quæ vidit miracula?

LIPSIVS.

Vobis Lipsi qui in tenebris versamini, omnia vera sunt,

ſunt, quæ illi, quorum apud vos valet auctoritas, vera eſſe dicunt. Ea credulitas non exiguam dat his miraculis fingendis opportunitatem. Nam *cùm creduntur faciliùs, tum finguntur impuniùs.* Quæ poſtquam malè feriati homines finxerunt malitioſè, tu impudenter prædicas: & quaſi iam triumphatâ veritate, mendacio trophæum erigis, ſed in arenâ. Ea, quæ rectioris iudicij & ſanioris mentis viri falſa confictáque iudicarunt, tu hinc ſumto exemplo, vera fuiſſe contendis. *Si nunc facta, & videmus* (inquis) *cur nuper & olim abnuam fuiſſe?* Imò Lipſi ſi illa, quæ nuper & olim pari aſſeueratione prodita ſunt, cordatis viris ficta ſemper, & falſa fuere: cur ego hæc, quæ non minori cum ſuſpicione nobis venditantur, cæcâ credulitate, & temerè, nunc facta annuam? Cic. de Diuin. lib. 2.

LIPSIVS.

Idem ille Deus eſt qui patrat, eadem illa Mater Virgo, per quam patrat, & quam honore hoc honeſtat, & attollit. Imprudens non dicam religionis, ſed numinis eſt, qui abijcit diffidentia, aut negat. Omni æuo fuère, pleriſque omnibus locis: & erunt in æuum, etſi parciùs, denſiùs, vt diuinæ Prouidentiæ viſum.

THOMSONVS.

Tam iniuſtum & impium eſt, Deo affingere, quod non fecit, quàm quod fecit, derogare. Ceterùm an hęc, quæ tu narras, facta, an ficta ſint, infrà oſtendemus. Addis Deum honeſtare Virginem, miraculis per eam patrandis. Prorſus ignarus es finis miraculorum: & Beatam Virginem mendacijs tuis fædas, non celebras aut honeſtas laudibus. Vnquamne Deus per ſeruos ſuos edidit miracula hoc fine, vt illi honeſtarentur, an potiùs, vt illorum doctrinæ, qui ea patrarunt, fides adhiberetur? Tune putas Lipſi aliquem honore alium velle afficere, quem nolit eo lætari? Noluit ſanè Chriſtus diſcipulos ſuos eò lætari aut gaudere, quòd illis ſubiecta eſſent dæmonia, & illis in *omnem virtutem* ſeu [vim] *Inimici data eſſet poteſtas*, ſed quod *eorum nomina ſcripta eſſent in cœlis:* Et tu tamen dices eos inde honeſtari? Porrò, vbi legis tu in Scripturis, alios aut edidiſſe, aut edituros miracula, præter diuini verbi miniſtros? *Ecce dedi Vobis,* inquit Chriſtus, *poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes &c.* Luc. 10.17. & 19. Luc. 9. 1.2.

quibus?

Luc.9.1. & 2. quibus? Discipulis, quos binos prædicatum misit: quemadmodum priùs dedit Apostolis; quos & misit vt regnum Dei prædicarent. Nam quod Marci capite decimo sexto dicitur, eos qui credidissent, dæmonia eiecturos &c: id tantùm intelligitur de Euangelij ministris, non etiam quibusuis credentibus: nam & quibus datum est eijcere dæmonia, sanare ægros, &c: ijs etiam datum est linguis loqui nouis; nec tamen perpetua erant ea dona, & semper in Ecclesiâ mansura, sed ad tempus: Primò & præcipuè vt fides conciliaretur Euangelio: Deinde (quemadmodum docti aliqui sentiunt) vt inter ipsos Christianos essent, qui ęgros suos sanarent potenti verbo, cùm alioqui aduocandi fuissent profani medici & impij, qui ægris venena fortasse pro veris medicaminibus ministrassent. Quemadmodum & linguarum fuit donatio, partim vt hominum miraculosâ hac multarum linguarum infusâ donatorum scientiâ, adijceretur fides doctrinæ: partim vt homines illi rudes literarum, ad propagandum Euangelium selecti, cuiuis genti illud promtè possent annunciare; quod quidem donum dum Euangelium altas radices vbique egisset, in Ecclesiâ permansit. Hoc tu donum nō maiore cum impudentiâ potes Lipsi dicere in Ecclesiâ permanere, quàm miraculorum illud asseueras. Quæ *omni* æuo fuisse dicis *in plerisque omnibus locis, & futura etiam in æuum* repentè factus propheta vaticinaris. Quorum vtrumque falsum est: cui rei testem aduoco Chrysostomum, qui de Antichristi aduentu agens, iam olim illas Spiritus S. donationes cessasse pronuntiat. Locum ecce propono legendum, paullo longiùs repetito principio: *Non immeritò quæsierit quisquam, quid illud sit quod detinet, & postea cognoscere volet, quanam ratione illud adeo obscurè ponat Paulus. Quid ergo est, quod detinet ad reuelandum ipsum,* [Antichristum] *hoc est, quod prohibet, ne reueletur? Alij quidem dicunt, Spiritus esse gratiam: alij vero Romanum Imperium, quibus ego potissimum adstipulor. Nam si Spiritum voluisset dicere: vtique non obscurè dixisset, sed apertè. Nimirum, quod & nunc ipsum detineat Spiritus gratia, hoc est donationes. Alioquin enim oportuisset eum iam venisse, siquidem Spiritus Sancti donationibus cessantibus venturus esset.*

Mar.16.17.

Chrysost. in 2. Thess.2. serm.4.

Etenim

Etenim iam olim cessarunt. Audis iam Lipsi illas donationes iam olim cessasse? non ergo fuêre (vt tu mentiris) omni æuo. Et cum iam olim cessarint, ego iustius cessaturas dixero, quàm tu futuras in æuum. Nam inter has est miraculorum operatio, quam tu, futuram prædicas & prædicis. Porrò & Augustinus ait miracula *ad sua tempora non permissa fuisse durare* : & rationem addit: *ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.* August. de ver. rel.c.25.

LIPSIVS.

Piè & vtiliter hæc scribi & prodi posteris arbitror: vtinam maiores nostri industriè & intentè semper fecissent! Annales condimus, & facta & facinora hominum, imò & scelera propagamus: & non magis Dei Diuorumque opera decet, & iuuat? Decet: & de me, animum, manum, stilum illuc dabo, & versu libet testari.

THOMSONVS.

Nunquam piè mendacia pro veris scribuntur: nunquam vtiliter, quæ homines trahunt in errorem. Atque vtinam parciùs scripsissent maiores nostri, & veriùs. Nam illos *& suorum ingeniorum voluptati: & vulgo interdum indulsisse*, & *incerta pro certis*, & *parum firma fide nutantia, pro indubitatis atque verissimis tradidisse,* inter vos magni viri non negant. Qualia non dubium est, quin sint, quæ iactantur miracula. Vera decet non ficta, non falsa propagare. *Historiæ enim prima lex est, nequid falsi audeat, deinde nequid veri non audeat.* Sed illas leges nimis multi neglexerunt, qui cæca quadam pietate, illis tribuerunt miracula, qui nunquam fecerunt: deinde par *pietas eorum, qui successerunt, plurimum contulit ad errorem.* quidquid enim à maioribus acceperunt, pro rato habebant, & vero: & pecudum ritu alij alios per idem præcipitium sunt secuti, euntes ipsi, & alios secum trahentes in ruinam, quorum & tu te Lipsi addis choro, & eiusmodi fabulis propagandis gnauam operam polliceris: *De me,* inquis, *animum, manum, stilum illuc dabo, & versu libet testari:* Hic tacitè secum opinor lector dicet:

Canus.loc.com. lib.11.c.6. Anton. Hierat. & Ioh. Gymn. in epist. dedic. epitomes Ann. Baronij. Cic.lib 2.de Orat. Lactan. instit. lib.1.c.15.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Horat. in art. Poet.

Qui (vt poetæ verba inuertam)

—fumum

Ibidem. —*fumum ex fulgore*, haud *ex fumo dare lucem*
Cogitat.

Quid enim tu aliud Lipsi facis dum huc das tuum stilum, quàm veritatis lucem tuo mendaciorum & fabularum fumo opprimere conaris? Quid aliud quàm *Dei veritatem in iniustitia detines*? Quid aliud cum huc das manum, quàm *exhibes membra tua arma iniquitatis peccato*? Huc cùm das animum, Deo tibique ipsi maximè es iniuriosus. Dei enim & rectæ rationis sedem prodis Diabolo, tradis vanitati, eorum adscribendus numero, qui *superstitionibus vanis inhærẽtes, obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis religionibus, quas prauè asserunt, benè meriti, quàm de se malè: qui cùm habeant iter rectũ, deuios sequuntur amfractus, planum deserunt, vt per præcipitium labantur: lucẽ relinquunt, vt in tenebris cæci et debiles iaceant.*

Rom.1.18.
Rom.6.13.
Lactan. instit. lib.1.c.1.

LIPSIVS.

O Heliconij — *Hoc est fumum,*
Numina collis — *Hoc est, vmbram,*
Quondam culta — *Aut, vt veriùs,*
Ite, valete. — *Vmbræ ipsam vmbram.*
Famam peperi,

THOMSONVS.

Hic incipis Lipsi insulsas tuas fabellas condire: vbi γλῶσσα, non ἁμαρτάνουσα, sed εἰρωνευομένη ἀληθεύει: Dicis te peperisse fumum & vmbram, verissimè:

Lingua dissimulans verum dicit.

Nec semper mendax fallere Creta solet.

At non ita sentis, ac loqueris: esto. Ex tuo ore iudicaris.

Luc.19.22.

LIPSIVS.

Sapio fugio,
Ad quod Asylum? — *O Diua tuum.*

THOMONVS.

Benè fugis, si verè fugis à falsis tuis numinibus, & ab vmbratili felicitate, sed malè ad asylum Virginis, quod nusquam est. Vt Dauidi multo te & nobis omnibus sapientiori *fortitudo, firmamentum, refugium, liberator, adiutor, protector, susceptorque* fuit ipse Deus, non homo, ita & nobis debet esse.

Psal. 18.1. & 2.
Psal. 89.1.
Psal.90.2.

LIPSIVS.

Tu reparatrix
Miseræ sortis — *primorum hominum.*

THOM-

THOMSONVS.

Sacrilege,ſacrilege,ſacrilege,audi homines,audi Angelos,audi contra te loquentem Deum,Patrem,Filium, Spiritum S. *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt* [ſubſtituta matre eius in eius locum] *à vobis ædificantibus. Qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Hæc Petrus: Et Paulus, *Attendite* inquit, *vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Hic non mater Dei, ſed Deus & homo Chriſtus acquirit & reparat perditos homines: illic non datur aliud nomen niſi Ieſu, in quo ſit ſalus. Et quoniam hæc reparatio non potuit fieri niſi ſanguine effuſo, Paulus apertè oſtendit, Chriſtum ſuo ſanguine nos perditos reparaſſe. *Sine ſanguinis* inquit, *effuſione non fit remiſſio.* Quare *Chriſtus Pontifex futurorum bonorum per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemtione inuentâ.* Et ideo *Noui Teſtamenti Mediator eſt: vt morte intercedente, in redemtionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, hæreditatis æternæ.* Eiuſdem ſanguinem nos reparaſſe ait Petrus: *Scientes, quod non corruptibilibus, auro vel argento redemti eſtis, de vanâ veſtrâ conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, Chriſti, & incontaminati.* Hic non vides, niſi, per ſanguinem Chriſti, reparationem: nec, præter ipſum, reparatorem, reparatricemue. Quid accumulem, quæ Paulus ad Corinthios, Epheſios, Coloſſenſes & alios ſcribens inculcat? Quid quæ alibi Petrus? Quid quæ in Apocalypſi Ioannes, & quatuor illa Animalia, & Vigintiquatuor Seniores, id eſt, vniuerſa credentium (quæ infinita eſt) multitudo? à terris ergo ad cœlos, ab hominibus ad Angelos tranſeo. *Ioſeph fili Dauid,* inquit Angelus, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt. Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et rurſus: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Nunc Deum Patrem loquentem audi, & treme, quippe qui

Act.4.11.12.
Act.20.28.
Heb.9.22. & verſ.11.12.15.
1.Pet.1.18.19.
1.Cor.1.30.
Eph.1.5.7.
Coloſſ.1.22.
1.Pet.2.21.24. & 3.18.&
2.Pet.2.1.
Apoc.1.5.&
Apoc.5.9.&
Apoc.14.4.
Matth.1.20.21.
Luc.2.10.11.

reparatricem facias matrem, cùm ille reparatorem con-
Esa.42. 1.5.6.7.8. stituerit filium. *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus: complacuit sibi in isto anima mea: dedi Spiritum meum super eum: iudicium Gentibus proferet. Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos & extendens eos: firmans terram & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam. Ego Dominus vocaui te in iustitiâ, & apprehendi manum tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium; vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum,*
Esa.43 11. Os.13.4. *de domo carceris, sedentes in tenebris: Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* & rursus: *Ego sum Dominus & absque me non est Saluator.* Quid aliud hic vobis surdis inculcat Deus, quàm se solum, qui creauit cœlum & terram & genus humanum, potuisse genus humanum reparare? quia non minus est reparationis, quàm creationis opus. Quare, ait se non daturum hanc gloriam suam alteri, id est, vt cuiuis eam det alteri impunè, non toleraturum. Hanc esse mentem illorum ver-
Esa.46.4. borum, Ipse Deus docet. *Ego (inquit) feci, & feram; ego portabo & saluabo.* Quisquis ergo alteri dat salutem & reparationem humani generis, quàm Deo, quisquis dat alteri cum Deo, Deum spoliat suâ gloriâ, sacrilegus est.

Audiuisti iam Lipsi Patrem: audi, si vacat, Filium:
Ioan.10.11. vers.15. *Ego sum pastor bonus: Bonus pastor animam dat pro ouibus suis. —— Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.* Spiritum Sanctum audiuisti cùm Apostolos audiuisti: nam *Spiritu Sancto in-*
2.Pet.1.21. *spirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Atque hactenus egi testimonijs: nunc tecum Lipsi agam rationibus. Virgo beata, mater Christi non debuit esse reparatrix miseræ sortis hominum, sed nec potuit. Nam vt reparare posset, debuisset & potestatem & potentiam habere. Prima, proprietatis & propinquitatis iure habetur: secunda adfuisset, si fuisset soluendo. Ius non habuit. Cùm
Leuit. 25.48. & 49. enim omnes gentes se vendidissent Diabolo, & qui se vendidisset, non posset à muliere redimi, sed ab aliquo ex fratribus suis, à patruo, patruele, consanguineo, affine suo, horum nihil erat Maria beata Virgo. Addo quod illa tam longè distabat à cognatione nostra gentium, quàm ipsa Iudæa à cæteris orbis angulis. At Christo

sto ius fuit, *cui datæ sunt omnes gentes in hæreditatem*, *qui non erubuit fratres nos vocare*: cum dixit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te*. Quos priùs vocauit fratres, post vocat Ecclesiam, ita vt quàm longa & lata est Ecclesia, tam latè longéque sparsi sint Christi fratres. Ille ergo ius habuit, illa non habuit. Fecit enim fratres suos, cùm dedit nobis ius, vt Dei Filij essemus: quod non fecit eius mater. Nec magis ei fuit potentia quàm potestas reparandi, id est, vt ego capio, redimendi. Cùm enim quatuor modis fiat redemtio, manumissione, permutatione, vi, vel pretio, horum modorum nullo potuit Virgo beata nos redimere. Vt manumitteremur, nulla potuit illi spes esse, obtenturam se à duro Domino detinente nos diabolo. Permutatio fieri non potuit, & si potuisset fieri, fuisset tamen absurda. Non potuit fieri, quia omnes erant captiui, nec vllus, nedum æqualis numerus, qui hosti detinenti daretur. Absurda fuisset, quia hosti fuissent aliqui traditi (nec tamen sui) vt aliqui redderentur: quæ absurda nimis fuisset versura. Vim non habebat ipsa Virgo, quippe quæ ipsa vinculo peccati originis, quasi numellis impedita, ab humani generis hoste teneretur: ipsa enim confessa est Deū esse *Saluatorē suum*. Sed nec pretium potuit soluere Deo infinito ipsa finita. Nullo igitur modo reparatrix fuit miseræ hominum sortis. Quod si excipias, reparatricem fuisse quia peperit reparatorem, id ineptum reperies in contrario, aut certè valde disparato effecto. Peperit te mater tua Lipsi corruptorem Principū, fraudis doctorem, satorem superstitionis & idololatriæ, an propterea & illa Principes corrupisse, docuisse fraudes, idololatriam superstitionemque seuisse dicetur? Sed quia tu te ista fecisse negabis, age facta quæ fecisti, & te fecisse gloriaris; scripsisse Constantiam, Militiam Romanam, Politica, Magnitudinem Romanam, Poliorcetica,

Psal. 2.
Psal. 22. & Heb. 2. 11. 12.
Ioan 1 12.
Luc. 1 47.

Multaque præterea variorum monstra librorum,

An tuam parentem illa opera edidisse dices, quia te edidit, qui illa edidisti? Non tam negligentem tuæ laudis te puto, vt tantillum ex eâ delibari patiaris: Et Deum, (non dico) ex sua gloriâ aliquem partem decerpi,

pi, sed eam solidam à se transferri arbitraris passurum?

LIPSIVS.

Cælo pulsos Iterum cælo
Asseruisti.

THOMSONVS.

Ioan.1.12. Non asseruit cœlo: Christus asseruit. *Quotquot enim receperunt eum, dedit* [ille, non illa] *eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Et *per ipsum* [non per
Eph.2.18. ipsam] *habemus accessum ambo,* [Iudæi & Gentiles] *in vno Spiritu ad Patrem. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum* [id est, cœlorum] *in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ:* nec credamus nos per alium aut aliam cœlo posse asseri & sanctis inseri, nisi per vnum Christum. Ipse enim dixit: *Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Apage vestras Mediatorum distinctiones: nec enim alius esse potest *intercessionis,* quàm qui est *redemtionis*: Et quidquid *ranæ istæ è Draconis, è Bestiæ, è Pseudopropheta* ore prodeuntes obstrepant & coaxent, vno consensu & concentu eundem intercessionis mediatorem dicunt remotissimæ ætatis patres, qui est redemtionis. Omnium instar erunt hi tres:

Heb. 10. 19. 20. 21. 22. & Heb.4.14 16. & Heb.6.19.20.

Ioan.14.6.

Apoc.16.13.

Chrysost. in 1. Tim. 2. Hom.7. Chrysostomus: *Homo quippe purus Mediator nunquam fieret. Oportebat enim istiusmodi Mediatorem cum Deo colloqui.*

Hieron. in 1.Tim.2. Hieronymus: *Sicut vnus Deus, & vnus est Mediator inter Deum & homines vniuersos: hoc est, nullus alius talis, nec Moses, nec aliquis Propheta, quia & homo erat & Deus.*

In epist ad Rom.c.8. Idem: *Interpellare enim dicitur, dum semper hominem, quem suscepit, quasi nostrum pignus ostendit, & offert, vt verus pontifex & æternus.*

Lact. instit. lib.4.c.29. Lactantius: *Non potest summus ille ac Singularis Deus, nisi per Deum coli. Hic* [Christus, de quo loquitur] *templi maximi* [id est cœli] *ianua est: hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.*

Eod.lib.c.14. Idem: *Nec potest, nisi per eum, qui constituit templum, & ad aditum templi, & ad conspectum Dei perueniri.* Christi

mater

mater, licet sanctissima Virgo, tamen omnino homo fuit, non Deus: nec suscepit pro nobis humanam naturam, sed nobiscũ erat homo: nec passa est pro nobis, nec naturam humanam, quasi pignus nostrum Deo ostendit & offert; nec enim est Pontifex: nec constituit templum cœlorum. Quare nec cum Deo colloqui, nec pro nobis intercedere apud Deum, nec ad aditum templi illius maximi perducere, id est cœlo asserere potuit, aut potest.

Quod si Quæsitores vestri, Minoes, & Rhadamanti tam mendaciorum essent hostes, quàm sunt veritatis: hæc tua carmina carbone notassent, imò curassent flammis dari: quippe quæ Deo, quod suum est, tollunt, & dant homini. Sed ne te solum accusare videar, addam tibi & socios, id est, tui similes tenebriones, qui, quidquid magnificum Christo tribuitur & soli debet tribui, idem eius matri ore dant blasphemo, hostes Christi & eius gloriæ, aut ab ea petunt, quæ eius est dare, aut in illo sita sunt.

Maria. **Christvs.**

SCALA IACOB.

Coste. med. in hym. Aue maris &c. *Mater est* Scala Iacob, *quæ maternâ auctoritate penetrat cœlos, profundâ humilitate attingit terram nostram.*

Iacob vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes per eam: *& mox:* cumque euigilasset Iacob de somno, ait: verè Dominus est in hoc loco. Gene. 28. 12. 16.

Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis. Ioan. 1. 51.

Ipsum [*Christum*] & Scalam intelligimus, quia ipse dixit: Ego Svm Via. Aug. cont. Faust. Manich. lib. 12. c. 26.

STELLA.

Coste. ibid. *Tu es* Stella Matutina *&* Avrora *consurgens.*

Videbo eum, sed non modò: intuebor illũ, sed non propè: orietur Num. 24. 17

CHRISTVS. MARIA.

etur STELLA ex Iacob, & consurget virga de Israel.

Luc. 1.78. Visitauit nos ORIENS ab alto.

Apoc. 22.16. Ego Iesus sum radix & genus Dauid : STELLA splendida & MATVTINA.

2. Pet. 1.19. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & LVCIFER oriatur in cordibus vestris.

LVX & IN LVMEN.

Esa. 42.6. Dedi te in fedus populi, IN LVCEM gentium, vt aperires oculos:

Esa. 49.6. *Et rursus :* Ecce, dedi te LVCEM gentium:

Luc. 2.32. Item : LVMEN ad reuelationem gentium.

Profer LVMEN *cæcis.* In hymno Aue &c.

Triplex est lumen, fidei, gratiæ, gloriæ : precamur ergo te virginem, Dei matrem, lucidissimam maris stellam, Profer LVMEN *cæcis : da vt rectè credamus, vt credentes iustificemur, vt iustificati gustemus, videamusque quàm suauis est Dominus. Ceterùm, quia hic locus inferior nunquam tenebris vacare potest, precamur, vt exuto corpore, verum nobis proferas* LVMEN *gloriæ, vt ab interioribus exterioribusque tenebris liberi, clarè Dei vultum intueamur : æternoque lumine diuino perfruamur.* Cost. vbi sup.

ABSQVE PECCATO.

Heb. 7.26. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excellentior cœlis factus.

1. Pet. 2.22. Peccatum non fecit, & non inuentus est dolus in ore eius.

Sancta igitur es virgo, Dei mater, ab omni næuo purissima, ab omni peccato alienissima. Cost. ibid.

Nullâ tu vnquam maculâ aut næuo, vel leuiter aspersa fuisti, Angelis ipsis purior. Ibid.

Tua

	MARIA.	CHRISTVS.	
Idem in orat. ad Mar. Virg. in Apol. pro 1. par. Enchir.	*Tua puritas tanta est, vt sine peccato originali concepta, à peccatis prorsus omnibus te immunem conseruaueris.*	Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum IVSTVM.	1. Ioan. 2. 1.
Idem in cōmend. Apol. pro 3. parte Enchir.	*Tu sine peccato nata & concepta, purissimam duxisti vitam, sine omni næuo peccati.*	Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit [*Deus Pater*] vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.	2. Cor. 5. 21.
		Quis ex vobis me arguet de peccato? *inquit ipse Christus.*	Ioan. 8. 46.

PAX NOSTRA.

In hymn. Aue Mar. stella.	*Funda nos in pace.*	Ipse est Pax nostra.	Eph. 2. 14.
Coste. in med. in hym.	*Rogamus te Domina, vt pacem nobis largiaris veram, solidam, bono nitentem fundamento, stabilem, perpetuam. Hanc à te petimus, quia Angelus pacis diuinâ salutatione pacem tibi attulit.*	*Et rursus:* Vt duo condat in semetipso in vnum nouū hominem, faciens pacem.	Vers. 15.
		Pacem relinquo vobis, pacem do vobis.	Ioan. 14. 27.

	SALVS.	SALVTARE.	
Idem in orat. vbi sup.	SALVS *infirmorum.*	Viderunt oculi mei SALVTARE tuum.	Luc. 2. 30.

SPES.

Idem in medit. in hym.	*Quia benedicta inter mulieres, certissima* SPES NOSTRA *es.*	Christus in vobis SPES gloriæ.	Coloss. 1. 27
Idem in orat. pro 1. par. Apol.	*Quia tu es vita, dulcedo &* SPES NOSTRA.	Paulus Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Iesu Christi, SPEI NOSTRAE.	1. Tim. 1. 1.

CONSOLATIO.

	CONSOLATRIX.	CONSOLATOR.	
Coste. in medit. in hym.	*Tu mater nostra* CONSOLATRIX *nostra.*	Sicut abundant passiones Christi in nobis:	2. Cor. 1. 5.

CHRISTVS.	MARIA.
ita per Christum abundat Consolatio nostra.	*Iuno Sospita, idem titulus illi, qui tribuitur matri Domini nostri, cùm appellatur nostra* DOMINA CONSOLATIONIS. (Vigner. in Fastis. in mense Feb.)
(Ioan. 14. 16.) Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum [*id est Consolatorem*] dabit vobis: *Ergo & ipse Christus Consolator erat, quandoquidem missurus erat alium.*	CONSOLATRIX *afflictorum, tu gloria nostra,* CONSOLATIO *nostra.* (Coste. in orat. vbi sup.)
(Luc. 2. 25.) Hic homo erat iustus & timens Deum, qui expectabat CONSOLATIONEM Israëlis.	

VIA, PORTA, OSTIVM.

(Ioan. 14. 6.) Ego sum VIA & Vita & Veritas. Nemo venit ad Patrem nisi per me.	*Felix* COELI PORTA. (In hym. Aue M. S.)
(Ioan. 10. 9.) Ego sum OSTIVM: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.	*Sanctissima Christi mater est felix* COELI PORTA, *quia nemo in cœlum intrabit, quem non ipsa admiserit, quem ipsa in filium suum, fratremq; Christi non receperit: & quia per eam preces nostræ meritaq; in cœlum admittuntur, conferunturque.* (Coste. in medit.)
(Lact. instit. lib. 4. c. 29.) *Et Lactantius ait,* hunc esse TEMPLI MAXIMI JANVAM & OSTIVM VITAE.	FENESTRAM vocat Durantius. (De rit. Eccle. lib. 2. c. 35.)
	PORTAM PARADISI vocat Costerus. (Coste. in orat. vbi sup.)

GLORIA.

(Luc. 2. 30. 32.) Viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad reuelationem gentium, & GLORIAM plebis tuæ Israel.	*Tu* GLORIA *nostra.* (Cost. ibid.)

SOL-

Maria. Christvs.

SOLVIT VINCVLA PECCATORVM.

In hym. Aue M.S. Coste. in medit.

Solue vincla reis.

Hem quot laquei, quot funes peccatorum! quot impedimenta salutis! & quis hæc euadet? quis liber & expeditus solũ Deum quæret? Tu Virgo beata, solue vincla reis, amoue salutis remoras. & mox: *Solue porrò Domina nostra vincula reis. Solue precibus, solue meritis, solue auctoritate, solue imperio. Externa omnia vincula solo nutu & voluntate remouere potes. Passiones, quæ in peccatorum pœnas nobis relictæ sunt, tu meritis tuis diminuis: peccata verò ipsa, vt nobis dimittantur, precibus & meritis impetras: — reos deformibus vinculis solutos, transfer in Dei filios.*

Blasphemia horrenda.

Dedi te fœdus populi, vt educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo. Esa.42.7.8.

In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. 1.Ioan.3.8.

Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Ioan.8.36.

TOLLIT PECCATA.

In hym. Aue M.S. Coste in illum vers.

Mala nostra pelle.

Mala sunt huius vitæ duplicia, peccatum, & quidquid ad peccatum inducit: omnia mala inuexit peccatum in mundum, omnes calamitates, omnes miserias, Deum ipsum adegit ad crucem. Inferni pœnas excitauit, & in æternum conseruabit.

Hoc malum à nobis pelle Virgo sanctissima.

Eece Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioan.1.29.

Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce: societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. 1.Ioan.1.7.

Et vocabitis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Math.1.21.

	CHRISTVS.	MARIA.	
	MEDIATOR & ADVOCATVS.	MEDIATRIX & PATRONA.	
1.Tim.2.5.	Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.	*Tu es* MEDIATRIX *nostra, longè efficacior, quàm fuit Moses.*	Coste. in hymnum.
1.Ioan.2.1.	Habemus Aduocatum apud Patrem, Iesum Christum iustum.	*Obsecro te igitur Maria* MEDIATRIX *nostra, ad hanc nos supernam solidamque lætitiam admitte.*	Idem ibid.

Sola meruisti dignitatem Matris Dei, gloriam reginæ, auctoritatem PATRONAE GENERIS HVMANI. — Ibid.

	REX.	REGINA.	
Ezech.37. 24.& 26.	Et seruus meus Dauid REX super eos, & Pastor vnus erit omniũ.	*Tu meruisti sola gloriam* REGINAE COELORVM.	Coste. vbi sup.
Apoc 17.14. & Apoc.19.16.	Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominantium est, & REX regum.	*Postquam assumta est in cœlum,* REGINA COELORVM *facta.*	Ioan. Mola. hist ima. l.3.c 23.

Psal.89.28. & 30. Ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ. & ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cœli.

SVPER OMNEM CREATVRAM.

Eph.1.19. 20.21.	Secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem.	*Meritò hoc titulo & prærogatiuâ lætaris Maria, quæ super omnem creaturam euecta, quâ proximè sedes iuxta Creatorem: sola tu creaturis omnibus hac dignitate nobilior, admirabilior, illustrior.*	Coste. in meditat.
Heb.1.3.	Qui cùm sit splendor gloriæ	*Meritò exaltata est super omnes Angelorum choros Mater Dei Maria, cuius*	Idem ibid.

MARIA. | CHRISTVS.

ius dignitas omnem intelligentiæ vim excedit. Quid enim est, matrem esse Dei? Mater causa est filij; mater superior est filio; matri debetur honor à filio; matri tenetur morem gerere filius; denique matris pars & caro est filius. Quanta ergo coniunctio Dei et Virginis! quanta obligatio! quanta societas!

gloriæ & figura substantiæ eius, [*Dei*] sedet ad dextram Maiestatis in excelsis.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip.2.5.6.7.8.9.

OMNIPOTENS.

Idem ibid. *Tu Mater Dei* OMNIA POTES *in cœlo & in terrâ.*

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Math.28.18.

In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare. Coloss.1.19.

Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Ioan.3.35.

Ego & Pater vnum sumus. Ioan.10.30.

Quæcunque Ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Ioan.5.19.

VITA.

Idem ibid. *Quia Dominus est tecum,* VITA *nostra es.*

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *& mox:* in ipso Vita erat. Ioan.1.1.

Ego sum Via, & VITA & Veritas. Ioan.14.6.

DEVS

CHRISTVS. DEVS.	MARIA. DEA.
Scimus quoniam Filius Dei venit. & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verũ Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus: & vita æterna. Filioli CVSTODITE VOS A SIMVLACRIS.	*Nihil iam restat nisi vt apertè quis vocet* DEAM. *Id si non facit Iesuita Costerus, facit Semi-Iesuita Lipsius quater, vt infrà videbitur.*

1. Ioan. 5. 20.21.

Diuę Aspric. c.3 5.30.46.

Ex his aliisque similibus iudicet æquus lector, an Bestiæ cultores Papistæ sint in Christum contumeliosi. Iudicet, an Lipsius verâ vnquam pietate imbutus fuit, qui Iesuitarum simia, dat homini, quæ Christo Deo debetur gloria.

CAPVT II.

LIPSIVS.

DEcet igitur ea scribere, sed & iuuat. An non iuuet, vbi tam palàm fructus, & tam magnus est? Et fructus quidem non vnus. Ille primò, quòd miracula communiter religionem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere, suadent, & inducunt.

THOMSONVS.

Decet sanè vos mendaces mendacia contexere, nec nos vera à vobis, aut petere, aut expectare decet. Nam quemadmodum

Iusta — ab iniustis petere insipientia'st
Quippe illi iniqui ignorant ius, neque tenent,

Ita & à mendacibus petere vera, vera est vecordia: quippe aut verum nesciunt, aut *detinent in iniustitia*. Cęterùm, iuuare vos non miror pudenda scribere mendacia, cùm semper fuerint & sint, *quos suum dedecus delectat*: sed id imprimis miror, te, ea, vt credamus, scribere, & suadere, quæ ego te credere non credo.

Plaut. in Prol. Amphit.

Rom. 1.

Sen. de vita bea. c. 8

Verorum miraculorum scriptionem laudo, nec vsu caruisse cum ipsa miracula tum illorum scriptionem fatebor.

tebor. Sed tamen communiter in animis religionem excitare, non concedam. Si hoc tuum dictum pro axiomate velis haberi, necesse est sit catholicum logicum, id est vniuersale semper & vbique verum. At cum nec vbique nec semper verum sit repertum, catholicum non esse, sequetur, nisi fortasse Romanum. Quot enim viderunt & oculis vsurparunt Christi miracula, qui æquè cęci, æquè duri, æquè athei ab eo recesserunt, ac ad eum venêre?

LIPSIVS.

Hic est primus ille & communis fructus miraculorum. Alter magis distinctus, quod ad veram religionem ducunt, siue potius trahunt. Fit enim diuina benignitate, & arcana prouidentia, vt vera miracula nusquam, nisi in vera fide, & à fidelibus patrentur.

THOMSONVS.

Non minùs falsum est, miracula semper ad veram religionem ducere. Multa enim patrata sunt ad falsas religiones confirmandas, ad stabiliendam horrendam superstitionem, & idololatriam sacrilegam. Neque verum est, miracula non fieri nisi in vera fide, vt ex Augustino liquet. *Atque,* (inquit ille) *illud ad rem maximè pertinet, ne decipiamur, tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi per eos, qui nomen habent, & facta non habent, sed etiam quibusdam factis, atque miraculis: qualia propter infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen, ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi miraculum visibile viderimus. Adiungit ergo & dicit: multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & reliqua. Non ergo cognoscet, nisi eum, qui operatur æquitatem. Nam & ipsos discipulos prohibuit gaudere ex talibus, id est, quia dæmonia illis subiecta fuerint: sed gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Credo in illa ciuitate Hierusalem, quæ est in cœlis, in qua non nisi & iusti & Sancti regnabunt. An nescitis inquit Apostolus, quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt? Sed fortasse quis dicat, non posse iniquos visibilia illa miracula facere, & mentiri potius illos credat, qui dicturi sunt: in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Legat ergo quanta fecerint famulo Dei Mosi magi Aegyptiorum*

Aug. de Serm. Domini in monte. lib. 2.

tiorum; aut si hoc non vult legere, quod non in nomine Christi fecerint: legat quæ ipse Dominus dicit de Pseudoprophetis: Tunc siquis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere; surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur etiam electi. Ecce prædixi vobis. Quàm ergo mundo & simplici oculo opus est, vt inueniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum & peruersorum hominum deceptiones, erroresque obstrepunt, quos omnes euadere, hoc est venire ad certissimam pacem, & immobilem stabilitatem sapientiæ?

Vides Lipsi quantum Augustinus tribuat miraculis, & quibus ipsa concedat miracula. Sæpe ducunt in errorem, quia Pseudoprophetæ ea possunt patrare: non est ergo verum quod tu asseris, trahere ad veram religionem, nisi dicas vera, & aliquando: nec illud verum est, nusquam nisi in vera fide fieri. Sed ne technis tuis eludas mentem Augustini: addo ex vestris hominibus testem qui & miracula à pessimis patrari posse fatetur. Is est Andradius Concilij & fidei Tridentinæ propugnator strenuus, qui, quæ ego de miraculis dico, his verbis clariùs, quàm tu velles, pronuntiat. *Cum Augustinus de insania Donatistarum differens, qui vniuersam Ecclesiam Africæ finibus includebant, non alijs argumentis, quàm sacrorum voluminum testimonijs demonstrari posse veram Ecclesiam putet, inde colligit Kemnitius, Augustinum asserere, omnia in illis expressè contineri: neque aduertit ideo Augustinum contendere, Ecclesiæ certa atque firma indicia è sacris literis petenda esse, quia ab omni sint falsitatis suspicione liberæ. Nam* CVM MIRACVLA STVPENDAQVE PRODIGIA, *quæ sæpe à viris fiunt sanctissimis*, DAEMONVM OPERA A PERDITIS ETIAM ET FACINOROSIS FIERI POSSE DICAT, FVTVRARVMQVE RERVM PRAEDICTIONES, ET OCCVLTAE REVELATIONES, *non modò pijs*, sed IMPIIS, ET FLAGITIOSIS HOMIMIBVS ACCIDERE ALIQVANDO POSSINT, FALSA *profectò* HAEC SVNT PLERVNQVE, INFIRMA *etiam* SEMPER ECCLESIAE VERAE INDICIA. *Quare* SOLA DIVINA ORACVLA VERITATIS PERPETVVM DOMICILIVM, SEDESQVE FIRMISSIMA ILLIVS

Andrad. Defens. Triden. fidei. lib. 2.

ILLIVS VIM ET DIGNITATEM DEMONSTRANT.

Hæc si aliquis ex nostris dixisset; potuisses critico supercilio respuere: sed fidei Tridentinæ defensoris auctoritatem non audebis eleuare. Permittit ergo Deus (vel Pontificio disceptatore Andradio) extra veram fidem fieri miracula. Permittit Deus, vt Pseudoprophetæ, ea prædicant, quæ eueniunt. An tamen, quia impij flagitiosique miracula fecere, & Pseudoprophetæ miraculosè aliquid prędixere euenturum, veram religionem, veramque fidem habere dicentur? An tu Lipsi illorum miracula classicum esse dices, quod ad talem fidem, & cœtum vocet, qualem impij illi habent & flagitiosi? Præclarum sanè habemus te Ecclesiæ Christianæ columen, si ea tibi mens. SCIENTIAE, PRVDENTIAE, SAPIENTIAE pennam tuam semper operatam gloriaris; sed hic nimis manifestè ignorantiæ famulatur. Disce ergo vel a tuis Pontificijs non semper miracula ad verum cœtum vtramq; fidem vocare. Non ex miraculis doctrinam, sed ex doctrina Deus vult miracula probari. Quippe qui ipse secreto suo consilio mittat pseudoprophetas, vt populum suum tentet, num firmiter velit ipsi adhærere: non quod ignoret an sit adhæsurus, sed vt fidem constantiamq; suam populus palam faciat, dum nihil eorum vult sequi, quæ suaserit pseudopropheta, etsi non sine prædictionis propheticæ miraculo; tum etiam vt diligentiâ eius ostensâ in eiusmodi peste extinguendâ, alios à talibus imposturis deterreat, posterisque, si tales impostores subinde suppullulent, illorum extirpandorum linquat exemplum. Deut. 13. 1. & seqq.

LIPSIVS.

De Vespasiano, Hadriano, talibus, quædam leguntur fronte & facie miraculorum: sed inspecta dignoscuntur, & vanitas aut simulatio adparent.

THOMSONVS.

In primo tui libri capite, eos, qui paullò vetustiora miracula eleuarent, Lipsi reprehendisti, nunc idem vetustis illis multo vetustiora non reprehensus, non reprehendendus eleuabis? At ista sanè, quæ tu Lipsi, inspecta, dicis vana simulatáque apparere, non minore cum

asseueratione, pro veris historici posteritati propagarunt, quàm vetusta illa scriptores aliquot Ecclesiastici, quæ tu eleuari non potes ferre. Suetonius *Vespasianum* pro concione miracula patrasse his verbis clarissimè dicit. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem* [Vespasianum] *pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, rem vllo modo successuram, ideoque nec experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palàm pro concione vtrumque tentauit, nec euentus defuit.* Et Tacitus, cui tu multum soles deferre, *Qui interfuerunt* (inquit) *nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.* Atque tu adeo ipse Lipsi in notis confirmas, addito versu Nasonis

Suecton. in Vespa. c. 7.

Tacit. hist. lib. 4. c. 12.

Lips. in no. ad Tacit.

Cùm sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

Cur enim iste versus laudatus, nisi vt illis testibus fides astruatur? Alioqui tunc Lipsi dixisses, hęc miracula, licet vera dicantur, falsa esse & conficta; & inspecta, vana simulatáque apparere.

Et quidni vera miracula inter infideles ab infidelibus patrarentur? *Sæpe occulta iudicia Dei, semper iusta:* Nec hæc talia dubito, quin iusto iudicio fieri permiserit Deus, vt magis magisque Idololatræ isti (*qui per visibilia & res creatas Deum cognoscentes, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*) falsis religionibus adhærerent, quarum sensissent potentiam, seque solidè Diabolo manciparent. Non hæc Vespasiani vnius, aut alterius Hadriani temporibus sunt patrata; sed omni ferè æuo, & vbique locorum talia aliqua audita sunt & visa. Nonne, cum Tarquinius Priscus Augurij & Diuinationis fidem eleuare studeret, Accius Nauius dissectâ cote nouaculâ, & confirmauit Augurium, & Tarquinium fallere nixum, permittente Deo, cooperante Dæmone fefellit? Nonne Antonini Imperatoris virtute, Gaium quendam cæcum, visum recepisse apud idoneos auctores vetus lapis clamat? Infinita eiusmodi miracula apud vetustissimos Scriptores sparsa reperiuntur: qualia siquis cupiat multa quasi in vno fasciculo videre

August.

Rom. 1. 20. 21.

Lactan. instit. lib. 2. c. 8.

Brisson. in Formulis. lib. 1. ex Huber. Goltzio.

Lactantij institutionum libri secundi caput octauum legat. Sed vt ad Vespasiani redeam miraculum : aut id verum erat, aut falsum. Si falsum : malè tu Lipsi, addito versu Ouidij, confirmasti, quod dixit Tacitus ; sin verum : malè iam eleuare niteris, quia rationibus tuis officit.

LIPSIVS.

Ergo vbi ea video, & tam certa & crebra video : quid nisi fauorem & inclinationem numinis agnosco ? Quid etiam nisi tubam, & classicum audio, quod ad talem fidem & cœtum appellat ?

THOMSONVS.

Tua illa, quæ iactas miracula, nec certa sunt, nec, si vera certaque sint, nos tamen ad eum cœtum, in quo patrantur, debent trahere. Magna stupendáque signa Christus prædixit Pseudoprophetas edituros: quibus tamen noluit nos ob ea miracula adhærere. Iactet vestra superstitio sua miracula : nos securi scripturas sequemur ; gnari tam nos veram religionem tenere, quàm vos deseruisse. *Nec enim potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi*, quam Papa vester Romanus, magnę illius Bestiæ in locum suffectus, non minùs, nescio etiam an magis, quàm prima illa magna Bestia, exercuit. Ita vt, quod de prima scripsit Lactantius, id ego de secunda possim iure dicere: *Illa est vera Bestia, cuius vnica iussione,* Lactan. instit. lib 5. c. 20. eod. lib. cap. 11.

Funditur ater vbique cruor, crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Nemo huius tantæ Belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ vno loco [id est Romæ] *recubans, tamen per totum orbem ferreis dentibus sæuit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa comminuit, & in cineres furit, nequis extet sepulturæ locus. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem viuis, terram mortuis denegasse?* Non hæresum tantum fumos & atram noctem vomuit vester Cacus ab Auentino monte, sed & persecutionum ignes, & fulmina excõmunicationum, vt istis è terrâ nos deleret, his arceret, vt ipse putabat, cœlo. Quò non torsit sua tela ? Vbi non Antichristus ille nostros homines exquisitissimis tormentis excarnificauit ? Ita vt

verè cum isto quærere & queri possim,

Virg. Aen. 1.

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Manicæ, Pedicæ, Numellæ nostros constrictos vbique tenuerunt, cruces & rotæ sub ijs membratim articulatimque læsis, cæsis, occisis gemuerunt. Quæ fidiculæ in ijs torquendis non diruptæ sunt? Quis fluuius non tinctus, quæ terra non inebriata illorum cruore fuit? Lupis canibusque proiectos in terris, coruis vulturibusque suspensos in aere, piscibus submersos in aquis pabulum fecistis. Quot rogi zelo vestro insano accensi nostrorum hominum combustorum ad cœlum nidorem miserunt? Modò rapido modò lento consumpsistis igne. In lectulis innocuos iugulastis, in mutuo amplexu virum & vxorem trucidastis, grauidas mulieres confodistis, & antequam possent pueri peccare, habuistis pro reis, & martyres fecistis vestræ immanitatis, antequam Dei veritatis esse possent. Atque huius tanti sceleris pœnas à quibusdam iam expetiuit Deus, à cæteris mox fortasse expetiturus. Meminisse potes Lipsi quot iam annis vicinæ regiones bello flagrarint, quod non aliunde est, nisi à spreto lumine, & extinctis illis stellulis, quibus ij, qui tenebras, quàm lumen maluerunt, non erant digni. Illa, illa sunt miracula, quæ religionem vestram illustrant, quæ faciunt eminere, quæ ad eam amplectendam inuitant, & canunt classicum. At vos pij viri nos optatis saluos: & id vnum scilicet curatis. Hoc si verum est: cur tam crudeliter torquetis? *Vnde* (vt cum Lactantio loquar) *pietas tam impia, vt nos miseris modis aut perdatis, aut inutiles faciatis, quibus vultis consultum*, aut saltem, velle consultum vultis videri? Pietas hic nulla esse potest, nec religio, sed religionis larua, & superstitiosa feritas, quâ sacerdotuli & sacrificuli vestri imperito imponunt popello,

Lactan. instit. lib. 5. c. 21.

Pers. Sat. 3.

Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum & rabiosa silentia rodunt:

Et nonnunquam viris alioqui doctis fucum faciunt;

Iuuen. Sat. 14.

Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbrâ,
Cum sit triste habitu, vultuque & veste seuerum.

Sed personatos istos hypocritas missos facio, cum primogenito Diaboli, & capite suo Antichristo, Papâ

Romano,

Romano, hypocritarum principe, qui mentitus Agni cornua, os tamen habet Draconis, aptus mendaciorum Patri interpres. Et vt vno aut altero verbo à tuâ tubâ & classico recedam, & iam canam receptui, hoc tantum addo: non esse miracula, quæ nos docere debeant, vbi sit vera religio; sed *Legem & Testimonium: Mosen & Prophetas*: denique, *Scripturas*, quæ *Canon* appellantur: non solum, quia secundum eas debemus viuere, sed & per illas Ecclesiam metiri, & quid rectum prauumque in ea sit, discernere. Illæ enim sunt *calamus*, qui *virgæ similis ad templum Dei* (i. Ecclesiam) *metiendum & altare, & adorantes in eo, datus est Apostolo*, vt rectè interpretatur Ambrosius. Si enim, vt ille ait, Euangelio Ecclesiam metiri potes: quanto magis toto corpore Scripturarum? Non ergo ille cœtus, in quo miracula fiunt, nobis erit verus cœtus censendus, quia in eo miracula patrantur: sed si nihil in illo cœtu extet, nihil subsidat, nil sit in eo verrucosum, nil lacunosum, id est si nec omittat illa omnia docere, quæ Deus in regulâ, in canone per prophetas, Euangelistas, Apostolos scripsit, nec doceat amplius, quàm quod regula docet; quorum nihil seruat vestra synagoga, dum populo non esse necessariam alteram sacramenti partem ait, in elementis religionis docendis secundum omittit præceptum; tollit ciborũ omni tempore libertatẽ, & suis monachis sacerdotibusq; nuptias, qui tamen scortantur liberè: de quibus æquè verè ac de Origenianis potest dici, ἀθετοῦσι γάμον, ἀλλ' οὐ λαγνείαν. πεφιλοτίμηνται γὰρ παρ' αὐτοῖς οὐχ ἡ ἅγνεια, ἀλλὰ ὑποκειτική: *reijciunt nuptias sed non libidinem. In honore enim est apud eos non sanctitas sed hypocrisis*, non ἅγνεια sed λάγνεια: deinde, quinque spuria sacramenta nobis obtrudit, & duo illa vera pannis, quos illis assuit, mirè fœdat. Et quid dicam de toto verbo non scripto? id est, traditionibus humanis, à quibus tota superstitio Romana pendet. Itaque *atrium quod est extra templum*, dicetur vestra Synagoga, quia externa illa Ecclesiæ facies vobis *gentibus* id est profanis *calcanda*, & inuentionum vestrarum luto *polluenda datur*: At vera Ecclesia non dicetur, quamuis id sibi nomen arroget, *Iudæos* sese vocabant multi, qui erant *Synagoga Satanæ*: At illi verè Iudæi sunt

Apoc. 13. 11.
Esa. 8. 20.
Luc. 16. 29.
Ioa. 5. 39.
Apoc. 11.
Ambros. in cap. 11. Apoc.
Epiphan. contra Origenianos.
Apoc. 11. 2.
Apoc. 2. 9.

Rom. 2.29. (id est, vera Dei Ecclesia) quorum *laus non ex hominibus,*
Apoc. 17. 14. *sed ex Deo est*: non, qui *pugnant aduersus Agnum* & doctrinam eius doctrinæ contrariam docent, sed qui *Agnum*
Apoc. 14. 4. *sequuntur*, id est, quæ ille docuit, tenent & docent. Taceat ergo tua miraculorum tuba, nec obtundat nos suo strepitu, & tu etiam non veritatis, sed

Iuuen. Sat. 14. —*fœda buccina famæ*

Lipsi contice.

LIPSIVS.

Benè Augustinus: Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem miraculis esse inchoatam, Vetustate firmatam. *Vtrumque agnosco. Et initia miraculis eguerunt, & progressio, cui auctoritate se defendit.*

August. cont. epist. Manich. c. 4.

THOMSONVS.

Augustini verba agnosco, sed à te ex multis callidè excerpta. Quare, vt, quæ fuerit Augustini mens, quiuis videre queat, locum dabo integrum. *Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesiâ esse Catholicâ non creditis, multa sunt alia, quæ me in eius gremio iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum*: & mox: *Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet & teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in catholicâ teneor.* Primò ergo, & præcipuè propter sapientiam, quæ in Ecclesiâ vigebat, in ea tenebatur Augustinus: sed quia illa intelligitur magis animo, quàm oculis cernitur, contra Manichæum argumenta affert, in oculos incurrentia, quibus, vt in Ecclesiâ Catholicâ commoraretur, adductus est: inter quæ sunt miracula & vetustas; at non qualiacunque miracula, sed a Christo & Apostolis patrata (id enim vult vox *inchoata*:) nec qualiscunque vetustas, sed conseruatrix veritatis. Malè nobiscum ageretur, qui Christianum ferimus nomen, si vetustate vt fundamento niteremur: & malè actum fuisset cum primo illo æuo, quod

gentilibus,

gentilibus, vetuſtatis argumento vtentibus, reſpondit: *Religionis auctoritas, non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere, qua die, ſed quid cœperis, intueri conuenit.* Alioqui & hodierno die multi Idololatræ poſſent de vetuſtate gloriari. Auguſtinus ergo ἁπλῶς in Eccleſiâ Catholicâ tenebatur propter eam ſapientiam, quam in illâ diſcebat, etſi propter Manichæos, reliqua illa ſenſibilia ipſum in Eccleſiâ tenuiſſe dixerit: nec primò tamen ponit miracula, ſed conſenſionem populorum. Quòd autem pòſt addat auctoritatem miraculis inchoatam, id non ita intelligendum eſt, ac ſi nulla fuiſſet Chriſtianæ doctrinæ auctoritas, antequam acceſſiſſent miracula, (multi enim Chriſti doctrinam amplexi ſunt, ante viſa miracula) ſed quòd non diu poſt illius doctrinę primordia, certiſſimorum miraculorum ſplendor illam illuſtrarit. Miracula excipiunt ſpes & charitas, quarum neutram tu Lipſi nominaſti, an quia ſpem non habetis, ſed eius ſimulachrum, nec charitatem, ſed pro ea *oſculi pacis* ludibrium, aut ſui oſtentatricem benignitatem? Charitatem ſequitur vetuſtas, ſed quæ? Ea profectò, quæ, etſi Chriſto niteretur, tamen multas iam tum admiſtas habuit nouitates, quod ipſe Auguſtinus apertè teſtatur, cùm in Epiſtolâ ad Ianuarium queritur, Eccleſiam Chriſti grauiſſimis & infinitis ceremonijs & ritibus oneratam, cui Chriſtus duas tantùm, eaſque facillimas, id eſt duo ſacramenta reliquerit. Et eo antiquior Lactantius, ait in illam vetuſtatem MAXIMI SACERDOTII libidinem irrepſiſſe: & alibi apertiſſimè, execrandi veſtri Antichriſti oſtendens primordia, ait: *Quorundam cupiditas tendit altiùs* [quàm ad magiſtratus,] *non vt prouincias temporali gladio regant, ſed vt infinita, & perpetuâ poteſtate dominos ſe dici velint vniuerſi generis humani.* Et Saluianus, qui Auguſtini æuo floruit, illam vetuſtatem valdè corruptam nouâ doctrinâ queritur. idem facit illo minor Agobardus. Itaque non eſt, quod vetuſtatis fulgore oculos noſtros ſtudeas perſtringere. Vos quidem omnes

Laudatis veteres, ſed veſtris vtimini annis.

Nil aliud in ore veſtro crepat, quàm vetuſtas, antiquitas, Patres. Sed quotuſquiſque vetuſtatem illam ſciſcitatur,

Arnob. aduerſ. gent. lib. 2.

Aug. epiſt. 119. ad Ianuarium.

Lactant. inſtit. lib. 4. c. 30.

Idem lib. 6. c. 4.

Saluia. de diuino iudicio.

Ouid. Faſt. 1.

tatur, quam patres soliti sunt ipsi, & alios iusserunt

Horat. de arte Poët.

Nocturna versare manu, versare diurna?

Quotusquisque Prophetas & Apostolos legit? Quod si aliquando legitis: *ad contradicendum solùm legitis. Quæ verò ad vitam æternam conducunt, ne in mentem quidem veniunt vestram.*

Cyril. in Ioan. lib. 3. c. 4.

Vltima est successio, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio tenebat Augustinum, at non nuda illa personarum dicam? an, personata, sed veræ successio doctrinæ, quâ sublatâ, altera vanum est nomen. *Cathedra enim non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram.* Solaque (vt ait Nazianzenus) *successio fidei propriè successio existimanda est.* Et his antiquior Irenæus, *Eis* (inquit) *qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione, charisma veritatis secundùm placitum acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione* [nempe veritatis] *& quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ; vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus, vt hypocritas, quæstus gratiâ, & vanæ gloriæ hoc operantes.* Quales vestros sacerdotes & episcopos multis retro seculis extitisse magno Christianæ reip. malo nimis est manifestum, fabulis pro veritate obtrusis, vmbrisq; pro corpore aut reductis, aut superinductis. quod ego multis & claris, etiam vestrorum hominum, testimonijs probarem, nisi id longiùs à proposito me abduceret. Qui Blondum, Polydorum Virgilium, Ioannem Bohemum, Platinam, Durandi Rationale diuinorum officiorum leget, quod ego iam dico, verum comperiet; id est multas à Iudæis & Gentilibus mendicatas lacinias, multas à superstitiosis, & hypocritis textas, integræ Christi tunicæ assutas, eam deformasse. Sed his iam relictis ad te redeo, qui ex Augustini verbis duo colligis: 1. *initia miraculis eguisse,* 2. *progressionem, æui auctoritate se defendisse.* Cuius rei initia ais Lipsi miraculis eguisse? An nouam illam baptismi doctrinam eguisse dicis? at Ioannes Baptista primus huius doctrinæ præco nullum signum fecisse dicitur. Aut ergo non eguit illa doctrina miraculis, aut Ioannes Baptista non ea fecit quibus doctrina sua eguit. An initia doctrinæ Christi miraculis

Chrysost. in Matth. c. 23.
Naz. in laudib. Athanas.
Iren. aduers. hæres. lib. 4. c. 43.

Ioan. 10. 41.

lis eguisse dices? At omnia Dei opera sunt perfecta, nec verba eius aliqua re egent. Non ergo eguit miraculis Christi doctrina: eguerunt fortasse eius auditores infideles. An Ecclesiæ Catholicæ initia eguerunt? At illa cum mundo sumsit initium. Sed nusquam legis primum hominem Adamum, primumque humani generis doctorem miracula patrasse. Nec enim dubitandum est, quin liberos suos, mundi creatorem Deum colere docuerit, verbo & exemplo: etsi alter pius, sanguine Deum placandum, fide verbo Dei nixa vidit: alter profanus incruento & farreo sacrificio Deum placari posse sibi mentiebatur; quali & vos Caïnitæ Deum etiamnum placare studetis. Sed age, Ecclesiæ Catholicæ initia à Christi prædicatione sume: eguerint infideles miraculis, vt ad fidem venirent, quid tum? Ergo postquam Euangelio creditum est, opus est miraculis, vsque ad mundi consummationem? Ergo & vestra miracula pro veris habenda sunt? Ergo & illa vera est fides, in quâ vestra ista miracula fiunt,

Gen. 3. 15.

Papistæ Caïnitæ.

— *quorum nox conscia sola?* Ouid. met. 13.

Ergo & verus ille est cultor Dei cœtus, qui miracula facit? *Nemo vobis fabulas vendat* (lectores) *nam & Pontius fecit miraculum* (inquit Augustinus) *& Donatus orauit, & respondit ei Deus de cœlo.* Nemo tamen sanæ mentis his propterea credendum censuit. quare? quia omnes eiusmodi thaumaturgi, vt ait idem Augustinus, *aut falluntur aut fallunt.* Patitur quippe Deus sæpenumerò, vt qui verbo suo non adhærent, sed thaumatomaniâ laborant, & decipiantur & decipiant.

August. exposi. in euang. Io. tract. 13.

Ibidem.

Sequitur, *Ecclesiam Catholicam se auctoritate æui defendisse*]

Vetustatis aut æui auctoritate nunquam solâ se defendit Ecclesia Catholica, sed coniunctâ cum veritate, id est verâ vetustate, aut vetustâ veritate se defendit, vt supra dixi, vbi lector videbit, quanta debeat esse æui auctoritas, nisi veritate imbuti.

LIPSIVS.

Sed & in ipsa vetustate miracula vsum habent. Sicut pueris lac necessarium est ad alimentum, viris etiam vtile & iuuat: sic tirones aut errones in fide, miraculis nutriuntur, viri & robusti etiam delectantur.

THOMSONVS.

Chryſ. in 2. Theſſ. 2. Ser. 4.
Auguſt. de vera relig. c. 25.

Spiritus Donationes, inter quas ſunt miracula & *gratia ſanitatum*, dixit Chryſoſtomus (vt ſupra oſtendi) ante ſua tempora ceſſaſſe: & Auguſtinus miracula ad ſua tempora non permiſſa fuiſſe durare: quid tu ergo illorum iam vſum aliquem eſſe doces? quem ego nullum agnoſco apud fideles, niſi eum quem docet Auguſtinus, id eſt *patientiæ manifeſtationem*. cùm non mouentur, etſi eiuſmodi miracula videant; *neque enim parua* (inquit ille) *eſt viſibilium miraculorum potentia*, nec parum elucet fidelium patientia, cùm à tantâ potentiâ non ſuperantur.

Auguſt. de Trin. lib. 3 c. 7.

At tu tamen, veluti lac pueris neceſſarium eſt ad alimentum, & viris etiam eſt vtile, & iuuat, ita dicis tirones & errones in fide miraculis nutriri, & viros robuſtoſq; oblectari: Abundas ſimilibus Lipſi, ſed non ſemper feliciter. Lacte certè aluntur pueri, ſed miraculis vllos fideles vnquam alitos eſſe, aut ali poſſe, etſi dices, nunquam probabis. *Lac intelligentiæ quod ſine dolo eſt*, iubet Apoſtolus omnes, *vt modo natos infantes concupiſcere, vt in eo creſcant in ſalutem.* At doloſum veſtrorum miraculorum venenum vbi concupiſcere iubet? vbi vel veriſſima miracula vult aliquem optare? Auguſtinus explicans verba Ioannis Euangeliſtæ, ait apertè Chriſtum noluiſſe ſuos miracula quærere: Verba eius hæc ſunt: *Ibi eum* [Chriſtum] *commemorat* [Ioannes] *dixiſſe regulo, cuius filius infirmabatur: Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis. Vſque adeo ſuper omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, vt nec ipſa miracula, quæ (quamuis diuinitùs) de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quæri velit.* Quis ergo ille tam inſanus, qui eo oblectetur, quod Chriſtus quæri nolit? Nemo ſanè niſi vos, quos iuuat in omnibus Antichriſtum ſequi; & Chriſto aduerſari; quod ille vetuit, quærere; contemnere, quod iuſſit.

1. Pet. 2. 2.
Auguſt. de conſenſu Euang. lib. 4. c. 10.

LIPSIVS.

Itaque Idem Deus, etſi Chriſtianis, tamen extraneis à Catholicâ, hoc donum non indulget: teſſeram & ſignum veri ſui cultus ſeruat.

THOMSONVS.

Ex Andradio Tridentini fidei defenſore ſuprà oſtendimus, flagitioſiſſimos homines, & impios dæmonum operâ,

operâ, Deo tamen permittente, miracula edere posse. Et Augustinus id varijs in locis docet, præsertim de Trinitate lib. 3. c. 7. & in Euang. Ioan. Tractatu 13. & de Sermone Domini in monte lib. 2. Porro dixit ipse Christus, pseudoprophetas venturos & pseudochristos, qui stupenda miracula sint edituri; Dicit & Paulus venturum Antichristum secundùm *operationem Satanæ* ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, *in omni potentiâ, & signis, & prodigijs mendacij*: id est, non tantum in miraculis (vt quidam interpretantur) mendacibus, quoniam multa ficta miracula iactabit pro veris, sed & in veris miraculis, & nihilominus miraculis mendacij, id est quæ ad mendacia sua confirmanda edet, quemadmodum Ambrosius illum Pauli locum de Antichristo pro meâ mente his verbis interpretatur: *Ideò portenta mendacij dixit, quia hoc se vult* [Antichristus] *credi, quod non est, vt decipiat, quos circumuenturus est.* 2. Thessal. 2. 9. Ambros. in 2. Thessal. 2.

At illum dices non fore extra Ecclesiam, quippe qui in templo Dei sit sessurus. Non erit certè extra visibilem, quam penes vos esse iactatis; sed in inuisibili non erit, quæ vera est Ecclesia. Nec ego veram Ecclesiam inuisibilem voco, (vt hoc obiter dicam) quia nullus, qui in eâ est, possit cerni, sed quia oculis non possit ab alijs discerni. Secundum charitatis normam benè de ijs sentimus, qui veram Christi doctrinam amplectuntur, sed quod sit in vera permansurus Ecclesiâ, qui eius doctrinam profitetur, nemo potest de alio polliceri.

Postremò Lipsi, vt veri Dei cultus ψευδοσήμειον adulterinam tesseram à te nominatam amandemus, scito non θαυματουργίαν sed mutuum amorem veri cultus esse tesseram. *In hoc*, inquit Christus, *cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Alia nota peculiaris est: veri Dei cultus, *vocem veri pastoris Christi sequi, ab alienorum voce fugere.* Nos eam sequimur, dum quod ipse in verbo suo per Apostolos & Euangelistas scripto præcepit, facere pro virili studemus: quæ non iuxta illud docentur, pro fabulis ducimus & imposturis. Vos autem Væ-iouis Mercurium & interpretem Papam libenter auditis & sequimini. Sequimini sanè & miracula venditate, quæ edunt flagitiosissimi homines. Ioan. 13 35. & 15. 12. Ioan. 10. 4. 5.

Nos

Nos pura doctrinâ contenti, & miracula à remoti æui patribus cessasse docti, nil tale iactamus.

LIPSIVS.

Augustinus: culmen auctoritatis obtinuisse Ecclesiam Catholicam, hæreticis miraculorum maiestate damnatis.

THOMSONVS.

Quod olim de se Marius, eius de te contrarium dici potest Lipsi: *tibi, qui omnem ætatem in malis artibus egisti*, (inuocandis dæmoniјs, fraude, mendacio, perfidiâ, iniustitiâ, superstitione docendis, impiè de Deo sentiendo & scribendo) *malè facere, iam ex consuetudine in naturam venisse*. In politicis tuis, fidem tuam prodidisti, cùm Augustinum contra mentem suam, & præter eum, alios perfidiæ tuæ patronos & patres fecisti. Nec mutas. Nam paucula è bonorum Scriptorum sermonibus, quæ tibi fauere videntur, excerpis; ijs omissis, quæ plenam auctoris mentem ostendunt. Id vt alibi, te fecisse ostendi, ita hic te fecisse monstrabo. Non eo loco, quem ex Augustino affers, Ecclesiam Catholicam ait ille solâ miraculorum maiestate (quod tu callidè insinuas, cum reliqua taces) culmen auctoritatis obtinuisse, sed [*partim*] vt lector ex eius verbis videbit. *Cum igitur* (inquit) *tantum auxilium Dei* nempe [*per prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam atque his digna rebus tantis, atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula*] *tantum profectum, fructumque habeamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede, per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* Duo hic obseruanda sunt: primum, Ecclesiam non dici obtinuisse culmen auctoritatis miraculorum maiestate, sed simpliciter obtinuisse. Secundum, hæreticos damnatos esse, non solâ maiestate miraculorum, sed & iudicio plebis & conciliorum grauitate. Addo, superiora illa omnia, nimirum prophetarum vaticinia &c: auctoritatem Ecclesiæ etiam dedisse.

Sallust. Iugur.

August. de vtilit. credendi. c. 17.

dedisse. Quare Lipsi, vt non exiguam partem à verbis Augustini auellis: ita & eius sensum sententiamque mutilas; ipsum, si iam viueret in terris, nisi semissem aut duos trientes sententiæ suæ subduceret, opinor discerpturus.

LIPSIVS.

An non maiestas est, diuina illa opera edere? cæcis lumen, claudis gressum, ægris salutem, mortuis vitam reddere? Nostri faciunt: & imperium in ipsos Dæmones etiam exercent.

THOMSONVS.

Non soli

— miranda canunt, sed non credenda poëtæ,

Sed & Historici: & tu imprimis Lipsi. In quo pago, in qua vrbe, in quo agro, aut regione vitam mortuis reddiderunt vestri agyrtæ? Si tanta mortuorum excitandorum virtus apud vos viget: cur non ad nos, quos impios, infideles, atheos soletis vocare, venitis? quin mortuis nostris è sepulchro suscitatis, adducitis ad veram fidem? cur non tenebris tam densis oppressos & obrutos, miraculorum vestrorum splendore illustratis? Cur tantum bonum nobis inuidetis? In promtu est quod respondeatis, sancta non proijcienda esse canibus. At apud Indos dæmoniorum cultores mira patrant miracula Iesuitæ, si fas est credere. An nos veri Dei cultores, qui Christum eius veneramur, & Idololatriam odimus, istis impuriores putatis? Nescio: sed si ita est: scio nos nequaquam, vt ita de nobis existimetis, mereri. Vera causa, cur inter nostros miracula vestri non ostentent, hæc est: odêre lucem: norunt ea, quæ in Cymmerijs istis Synagogæ Romanæ tenebris liberè fingunt, si hîc fierent, detectum iri.

Nec reddere tantùm ais ægris hominibus salutem, & mortuis vitam, sed & in dæmones imperium exercere. Quoties illæ iam fraudes detectæ? Si non hactenus: at tandem

— habeat iam Roma pudorem, Iuuen. sat. 2.

cùm omnibus, etiam suis, eius fraus patet. Exercent vestri imperium in dæmones, sed in eos, quos ipsi in stultis mulierculis collocarunt: id est cùm ipsi eas subornarunt, vt pro dæmoniacis furiant, ijsdem facilè persuadent,

ſuadent, mercede pollicitâ, vt ſe à dæmonum inuaſione liberatas mentiantur. Eiuſmodi cùm comœdiam agere ſtatuiſſent exorciſtæ quidam in Gallia quatuor circiter abhinc annis, non ſtetit: quam hîc tangere non erit alienum. Dæmoniacam ſe finxit quædam apud Andegauenſes, quam exorciſtæ, qui eam ſubornarunt, dicebant κορυβαντιᾶν & inſanire, cùm veræ crucis aſſulâ tangeretur: dixit Epiſcopus (N) ſe habere: reſciuit Dæmoniaca per exorciſtas, acceſſit Epiſcopus, tetigit claui, quam paruam manus integram, ne videri poſſet, occultabat: illa ſaltare, furere, tragœdias agere: dixiſſes Baccham. ſubriſit Epiſcopus. Exorciſtæ ignari fraudis, quâ illorum fraudem Epiſcopus detexit, addiderunt, cùm Euangelium illi legeretur, tum verò multò ferociùs exſilire, frendere, ſpumare, in rabiem agi. Sanctiſſimi viri opuſculum pietate refertum forte habebat in perâ Epiſcopus, Petronij Satyricon, quo educto, & aperto obtulit ſe hemiſtichium

Petron. *— placitóne etiam pugnabis amori.*

Quod illa vbi lectum audijt, Euangelij verba eſſe rata, toruo vultu, fœdis oculis, ſpumeo rictu, ſeſe iactabat, & humi ſternebat, ita tamen vt in ſolidam baſin caderet ſine læſura. Animaduertit Epiſcopus comœdiam, & non ſine ſuo periculo aliquid detexit: irato & populo & clero, quòd mimum illum deridere videretur, & miraculorum in dœmonibus eijciendis fidem eleuare. Ita illi fraudibus aſſueti non poſſunt illis carere: & quo ipſi decipiuntur, dolo fauent.

Sed fac Lipſi verè eijci à veſtris dæmones. quid tum poſtea? Ergóne nos veſtro choro pedem inferemus, & vobiſcum inſaniemus? Eijciebant & quidam olim dæmones, non multo veſtris exorciſtis peiores, ſed colludentibus ipſis dæmonibus. *Nec quidem* (inquit Lactantius) *leuis cauſa eſt, quòd immundi dæmonum Spiritus, acceptâ licentiâ, multorum ſe corporibus immergunt: quibus poſtea reiectis, omnes qui reſanati fuerint, adhærent religioni, cuius potentiam ſenſerunt.* Patiuntur ſe eijci dæmones, aut potius, libenter euocati exeunt, vt cùm vnius corporis reliquerint hoſpitium, multarum animarum inueniant.

Lact. inſtit. lib. 5. c. 23.

LIPSIVS.

Lipsivs.

Hæc cùm vident, qui in beato cœtu iſto ſunt, iure firmantur, & diſputationum omnium nebulas, factorum ſole diſpellunt. Clamant cum pio ſcriptore: Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus: nam iſta in nobis, tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.

Richard. de S. Victore. de Trinit. lib. 1. c. 2.

Thomsonvs.

Quem tu putas Lipſi, non eſt beatus cœtus. Nec Romanenſes id ſibi nomen poſſunt arrogare: qui piorum ſanguine ebrij, in Deum, & Chriſtum eius blaſphemias euomunt, dum illum, inſtar principis humani, adiri non poſſe dictitant, niſi per Sanctos hac vitâ functos, & nos *Autotheanos* nominant, quia Chriſtum aut Spiritum S. non decerpere Deitatem ſuam ex Patris Deitate defendimus.

Poſſeuin. de Atheiſmis hæret. c. 6.

Nec propter ea miracula quæ veſtri vident (ſi tamen vlla vident) veram ſuam eſſe religionem ſibi debent perſuadere. Verus enim cœtus non viſu, ſed fide nititur. Quia ſenſus falli poteſt: fides non poteſt, vt docet Ambroſius, cùm ait: *Sic oportet credere, quomodo certi ſumus de viſibilibus, & adhuc ampliùs. Hîc enim aliquando erratur, hoc eſt in his quæ videntur, illic nequaquam: hîc quidem ſenſu percipimus, illic autem ſpiritu.* Hinc eſt quod dicat Apoſtolus: διὰ πίςεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους, *per fidem ambulamus, non per ſpeciem*, id eſt *non per viſum.* Adde quod fide *ſtamus*, fide *reſurgimus*, fide, quaſi manu, Dei *promiſſa apprehendimus*. Nec alijs, quàm fidei oculis Dei myſteria *videmus*, quam haud dubitandum eſt, quin Paulus intellexerit, cùm Epheſijs optauit *oculos animi illuminatos*, quos Hieronymus illum locum explicans, appellat *ſpirituales*: Tota denique noſtra vita eſt vita fidei: & quòd ſpiramus, fide ſpiramus, quòd loquimur, fide loquimur: *ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum.* Cùm itaque tota noſtra vita fide conſtet, quid tu nos ad viſibilia deijcis? At in promtu habes, te non facere: pium eſſe ſcriptorem *Richardum*, qui ad miraculorum argumentum, nos docet confugere. Vt ergo hunc popularem meum, (erat enim natione *Scotus*) vindicem à calumniâ, eius verba, altiùs ſumto principio, lectori expendenda

Ambroſ. in cap. 10 ep. ad Heb.
2. Cor. 5. 7.
Rom. 11. 20.
Coloſſ. 2. 12.
Gal. 3. 14.
Eph. 1. 18.
Hieron. in Eph. 1. 18.
Rom. 1. 17.
Gal. 2. 20.
Heb. 10. 38. 39.
2. Cor. 4. 13.

denda proponam, vt videat, an vos Papistæ, cum illo possitis ritè clamare, *Domine si error est, à te decepti sumus.* Hæc ergo sunt eius verba: *Sed hoc in his supra modum mirabile; quia quotquot veraciter fideles sumus, nihil certiùs, nihil constantiùs tenemus, quàm quod fide apprehendimus. Sunt namque patribus cœlitùs reuelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs diuinitùs confirmata, vt genus videatur dementiæ, in his, vel aliquantulum, dubitare. Innumera itaque miracula, & alia, quæ non nisi diuinitùs fieri possunt, in huiusmodi fidem faciunt, & dubitare non sinunt. Vtimur itaque in eorum attestatione, seu confirmatione signis, pro argumentis, prodigijs, pro experimentis. Vtinam attenderent Iudæi, vtinam animaduerterent pagani, cum quantâ conscientiæ securitate, pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni confidentiâ Deo dicere poterimus, Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? Nam ista in nobis, tantis signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt. Certè à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, & cum summâ & authenticâ attestatione probata, te ipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Hinc est vtique, quòd perfectè fideles, paratiores sunt mori pro fide, quàm fidem abnegare. Nihil enim proculdubio firmiùs tenetur, quàm quod constanti fide apprehenditur.*

Quàm parùm Lipsi hæc tibi faueant, quàm parum iustè possis cum isto Patre clamare, quiuis videbit, qui quâ de re, de quibus hominibus, qualibusque miraculis, & quando patratis *Richardus* loquatur, mecum animaduertet. Non ergo agit eo loco, de figmentis humani cerebri, sed de verâ Trinitatis, Incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, denique de totius Euangelij
Ioan. 1. 18. doctrinâ, eaque non à Christo tantùm (qui est in Patris
Gal. 1. 12. sinu) in terris traditâ Apostolis, sed & cœlitùs per Spiritum Sanctum reuelatâ, quemadmodum se Paulus Euangelium didicisse, & à Spiritu Sancto accepisse testatur. Quibus porrò reuelata fuit ista doctrina? Patribus, nimirum remotissimis, Apostolis, confirmante Deo illorum sermonem & cooperante signis & prodigijs. De
Marc. 16. 20. quibus *Richardum* loqui, ex ipsius verbis liquet, qui ipsa
Heb. 2. 3. 4. citat verba Marci, quæ de Apostolis dicta sunt, quæq; Apostolus ad Hebræos de ijsdem scribens, additâ breui exegesi,

exegesi, repetit. Deinde, quales erant, quibus reuelata fuit ista doctrina? viri summæ sanctitatis. Denique qualia erant miracula, quæ illorum doctrinam sequebantur? liquida, clara, manifesta, qualia non possent, nisi à Deo, fieri. Quid horum apud vos est? qui non doctrinam cœlitùs reuelatam docetis, non sacrarum Scripturarum solis riuis auditores rigatis, sed quam Draco ex Styge in Ecclesiam vomuit paludem, & vos nil nisi terram sapientes, bibistis, eâ mergitis. Vnde enim Peregrinationis, Canonizationis, Transubstantiationis, Supererogationis doctrina? Ex quo Euangelij apice sacerdotum cœlibatum, ciborum statis temporibus prohibitionem, paupertatis voluntariæ & mendicitatis votum, stultum simul & impium, Spuria sacramenta, Indulgentias, Missæ mimum & vertigines, Angelorum, mortuorum hominum, cinerum, ossium, exuuiarum, imaginum auri, argenti, æris, truncorum, saxorumque cultum didicistis? Aut vbi miracula, ad eiusmodi cultum firmandum edita legistis? Quis vnquam Pater aut Scriptor pius cùm hanc doctrinam, hunc cultum miraculis stabilitum vidisset, *Domine si error est, à te decepti sumus*, clamauit? Apoc. 12. 15. 16.

Porro si vultis cum illo Scriptore clamare, ostendite & vestros, qui miracula edunt, esse summæ sanctitatis viros, quales illi erant, qui illa patrarunt, de quibus loquitur ille Scriptor. At quis tam impudens est, vt eam ibi esse dicat, vbi, vt ait Mantuanus,

Sanctus ager scurris, venerabilis ara cynædis
Seruit, honorandæ diuûm Ganymedibus ædes? Mant. de calamit. suor. temp. lib. 3.

Nonne Caiphæ vestri, summi, (vt se venditant) Pontifices, qui (cum Petri successores se iactitant) alijs prælucere debent, & ad virtutem esse duces, facem tamen ad turpitudinem præferunt, & omne nefas? A capite (quod aiunt) incipit piscis fœtere. Quid si iam, vt quorundam impostorum vitæ in vestris Synagogis maiore studio & leguntur & audiuntur, quàm Euangelia, ita paparum vestrorum Legendæ (vt vocant) recitarentur? nonne mirum vestræ religionis amorem excitaret in audientium animis, illa rara pietas & sanctitas Pontificum Romanorum? Quis perfidus, quis mulierosus,

quis

Onuphr. in Alex. 6.

quis crudelis, quis tyrannus, quis sparsor veneni, quis profanus fuit? quis diuina profanis miscuit? quis filiæ stupro se incestauit? Cui fuit vna & eadem

Iouian. pont tumulorum lib. 2.

—filia sponsa nurus?

Quis denique omnium scelerum domicilium fuit? stupendæ vir sanctitatis, Alexander Sextus, *Papa Romanus (hæc omnia cùm ageret) tamen * *ad diuinitatem ipsam planè sublatus*, quem Sanazarius graphicè his versibus depingit, in eius epitaphio.

* Angel Polit. in orat. ad Alex. 6. pro oratoribus Senensium.
Sanaza epig. lib. 2.

Fortasse nescis cuius hic tumulus siet.
Adsta viator, ni piget.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni est, sed huius, qui modò
Libidinosa sanguinis captus siti
Tot ciuitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos vt impleat suos,
Orbem rapinis, ferro & igne funditùs
Vastauit, hausit, eruit:
Humana iura, nec minùs cœlestia,
Ipsosque sustulit Deos:
Vt scilicet liceret (heu scelus!) patri
Natæ sinum permingere,
Nec execrandis abstinere nuptijs,
Timore sublato semel.
Et tamen in vrbe Romuli hic vel vndecim
Præsedit annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,
Turpes vel Heliogabalos.
Hoc sat viator: reliqua non sinit pudor.
Tu suspicare & ambula.

De eodem.

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur
Hospes, abi, iacet hic & scelus & vitium.

Sigeb. in ann. 998.
Benno in vita Hildebr.
Platin. in Sil.
Genebrar 3. Chronolo. lib. 4.
Nic. Lyra in Matt. c. 16.

Qui necromantæ fuere? Syluester secundus tertiusq;, Benedictus nonus, Gregorius septimus, vt Sigebertus, Benno, Platina, Genebrardus testantur. Quis Arrianus? Liberius Papa. quis Eunomianus & Monothelita? Honorius, teste, quem dixi, Bennone. Et Nicolaus Lyranus, multos summos Pontifices apostatasse (eius ver-

bum est) à fide fatetur. Quid de nobili Ioannæ Papissæ stupro dicam? Nec est quod à nostris hominibus id crimen fictum credulæ plebi suadeatis. Haberent aliquam veri speciem, quæ dicitis, si nulli præter nostros id scelus memorassent. Sed cùm Baptista Mantuanus monachus Carmelita à maioribus illud didicisset; ille (vt taceam historicos qui narrant) Alphonsum ab inferis reducem his versibus fecit decantare:

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.

Mant. Alphon. lib. 3.

Quid? quòd Syluester tertius cùm papatum ambiret, & bonæ artes illi deessent, eô dolis & fallacijs contendit. *Non* enim, (vt ait ille) *per ostium, sed per posticum intrauit, vt fur & latro.* Benedictus nonus, vt apud Bennonem est, dæmonijs sacrificauit. Gregorius septimus hostiam iam consecratam, & quàm in Deum conuersam & ipse, & qui cum eo erat Ioannes Portuensis, & alij existimabant, quia interrogata non respondit, lymphatus in ignem iecit. Et quis ille fuit, qui Hieronymi Mutij carmina, Sodomitarum nefandam libidinem laudantia suo diplomate approbauit? Et horum tamen quisque summus fuit Pontifex, à quo ait Durandus ceteros *Pontifices tanquam à capite membra descendere, & de eius plenitudine omnes accipere.* Quod si tu cum illo Lipsi vis verum esse, quales habebatis pontificulos sub pontificibus illis summis? qualia sub tam malè affecto capite membra? Si sacrificulorum omnium Papa, quasi

Platina in Sylu. 3.

Benno in vita Hildebrandi.

Ibidem.

Durand. ration. diuin. offic. lib. 2. c. 1. Sect. 17.

Mens, agitat molem, & magno se corpore miscet:

Virg. Æn. 6.

tota tum sacerdotum multitudo ex perfidiâ, tyrannide, veneficio, stupro, necromantiâ, Arrianismo, apostasiâ, furto, latrocinio sacrilegióque constabat, cùm penes istos summos, erat rerum summa. At quantum præter istos elenchum libidinosorum satyrorum inuenies, apud recentiores vetere sque scriptores? quorum sanctitas mirè facit ad miracula suspicienda, quæ in Romano lupanari facta finguntur, doctrinamque, quam illa sequuntur, amplectendam.

Finguntur inquam. Non enim semper de illis est tantùm dubitatum, sed & sæpe falsa & ficta comperta sunt.

Postremò, quoniam quando illa miracula de quibus *Rich.* loquitur, patrata fuere, animaduertendum dixi, sciat velim lector, non fuisse edita Richardi seculo. Non enim ait sibi visa esse, sed tradita, ita vt ab æuo superiore acceperit. Scripta quippe fuere illa miracula cum in Euangelio, tum in Actis Apostolorum, nec quidquam Lipsio & Mirabiliarijs fauent. Ceterùm verba illa *Richardi* [*Domine si error est, à te ipso decepti sumus*] nimis audacia, & elata, candidè dicam, non laudo, nec sobrius, opinor, vllus laudabit.

LIPSIVS.

Et agnoscas sanè hic diuinam bonitatem, qui non contentus libris sacris, & concionibus ducere & docere, hæc etiam miracula superiore & nostro æuo adiungit, suis firmandis, alijs formandis. Nec vno ea loco, aut tempore: spargit & variat, vt plures certò cognoscant, nec aurium solùm, sed oculorum sensu hauriantur. Quid in nostrâ Belgicâ, factionibus istis ciuilibus, & sacris, nonne passim ea edidit: & iam recenter edit, in viciniâ hac nostrâ, limite à partibus infesto? Edit, & triumphamus, ac plaudimus: & sunt ea ipsa, quæ stilo eo vulgatum.

THOMSONVS.

Si latro, viatore iugulato, & vestibus pecuniaque spoliato, Deum prædæ illius fautorem & datorem agnosceret, illique prædam ferret acceptam, & tanquam benignum beneficumque, ob datam illam prædam, laudaret, quis non blasphemias potius in Deum eructare, quàm laude celebrare diceret?

Vos ergo Lipsi, cùm è vestris lustris & latibulis, viatorum, qui per rectum vitæ pergunt iter, assilientes, cæcis miraculorum sicis rectam mentem confoditis, & animas deprædamini, si Deum vestro sceleri fauere propterea putatis, &, quia abstinet fulmine, nec fraudes vestras punit, tanquam flagitij vestri auctorem prędicatis, non Dei nomen laudatis, sed numen lęditis.

Quod addis, *Deum miracula adiungere suis firmandis*; id Lipsi falsissimum esse Augustinus his verbis docet; *Inter fideles igitur non signa & prodigia sunt necessaria: sed spes firma. Postquam enim discitur vera esse, quæ promissa sunt, ad hoc se armat animus, vt spretis præsentibus, futuris dignus existat.*

August. in quæst. ex N. Test. quæst. 63.

Nec

Nec illud verius, *Deum iam passim edere miracula*, quæ Augustinus ait (vt suprà ostendi) ad sua tempora non permissa durare. August. de Ve. rel. c. 25.

Tertium illud æquè falsum est *edi in vestrâ Belgicâ, & in viciniâ illâ vestrâ*, id est, *Sichemij*: quibus enim testibus tanta miracula, & tot sunt patrata? quibus testibus eiecti dæmones, in quos imperium ais vestros exercere? certè pauculis sacerdotibus, illius partim auctoribus fraudis, partim fautoribus: vt in schedâ Gallico idiomate Bruxellis excusâ, cuiuis sciscitanti, erit videre.

Tandem, ante tubas, nedum victoriam, *triumphas*: intempestiuè. In Fabulæ tuæ prologo ipse tibi *plaudis*: ridiculè. Sed ne non staret, & exploderetur, verebaris, ideóque maluisti tibi ipse plaudere, quàm plausu carere: sapis.

Iam Lipsi quandoquidem miracula tua imaginaria te vulgatum ire dicis, & nos vis illa legere, & vera credere; patere & me nonnulla à vestris vulgata hîc repetere, vt quemadmodum ad veterum mendaciorum ideam ficta fuerint eorum aliqua, lector perspiciat; tum, vt vbi perspexerit, quàm sint ridicula, discat & illa vetera, & tua nouitia contemnere.

De Ariulpho & Diuo Sabino.

Ioan. Molanus hist. Imag. lib. 3. c. 59.

Ariulphus Dux Spoleti in bello Camerino contra Romanos, vidit quendam strenuè pugnantem, & clypeo suo aduersæ partis ictus à se auertentem. Cumque dux aduenisset propè Basilicam Sabini, interrogabat, cuius illa tam ampla domus esset: responsumque est ei à viris fidelibus, Sabinum ibi martyrem quiescere, quem Christiani, quoties in bello contra hostes irent, præsidio haberent, ac eum propterea in auxilium vocarent. Ariulphus () equo desiliens, basilicam conspecturus intrauit, alijsq; orantibus, ipse picturas mirari cœpit, cumque figuram Martyris Sabini depictam vidisset: mox cum iuramento affirmauit, talem omninò eum virum, à quo in bello protegebatur, formam habitumque habuisse.

De Ioanne rege Castellæ & Diuo Georgio.

Petrus Olim de Ioannis 1. regis Portugalliæ electione.

Rex Castellæ, maximâ militum manu stipatus, in Portugal- liam

liam copias traduxit, vt Ioannem Nothum recenter electum, regno exterminaret, quocum dimicans, ab eo superatus est. In hac pugnâ, tum ex Portugallensibus, tum ex Castellanis hostibus Diuum Georgium pro Ioanne victore dimicantem plurimi aspexerunt. In cuius rei memoriam, templum, quod nunc adest (præter illud celeberrimum nostrum monasterium nostræ DOMINAE *vulgò* DE BATALHA *ab eo extructum) in loco prælij à rege Portugalliæ Ioanne, Diuo Georgio dicatum est.*

Cic. de Nat. Deo. lib. 2. Vincen. Cart. de Dijs Vet. in Sole.

Legere mihi iam videor, *Castorem & Pollucem*, Aulo Posthumio Dictatore, cum Octauio Mamilio dimicante, visos ex equis pugnare: & *Heben* Hasdrubalis exercitum rupisse. Verùm dæmon aliquis aut *Castoris, Pollucis* & *Hebes* olim, *Sabini* & *Georgij* nuper mentitus est speciem, aut veteribus, recentioribusq; Scriptoribus mendacia dictauit, quibus miseros mortales ad Deum vnum & verum negligendum, & idola colenda incitaret.

De S. Dauide de Lhanauaes.

Giraldus Cambrensis in Itinerario Cambriæ, Lib. 1. ex editione Dauidis Pouelli S. T. D.

Accidit in ijsdem partibus, pueri cuiusdam, pullos columbinos in Ecclesiâ S. Dauidis de Lhanauaes à nido subripere volentis, lapidi supposito manum adhæsisse, miraculosâ fortè sancti illius vindictâ, auium Ecclesiæ suæ indemnitatem procurantis. Cumq; tribus diebus ac noctibus puer cum parentibus & amicis in ipsâ Ecclesiâ coram altari, vigilijs, ieiunijs & orationibus institissent, tandem die tertio vinculo diuinitùs relaxato manum à lapide virtus, quæ ligauit, absoluit.

De Diuo Ægidio.

Miraculum si fuit, cùm Christus super aquas ambulauit: quis non & hoc miraculum dicet, quòd Ægidius *nonnunquam à terra duobus cubitis eleuatus est, igneum illum spiritum, & diuino amore flagrantem corporeâ mole, propè iam nihil grauante?*

Sampayus Thesauri arcani li. 2.

Ibidem.

Quódque *tam vehementer absorptus est, vt a terrâ eleuatus, nullo sustentante, penderet immobilis?*

Ibidem.

Quanto autem illud mirius, Aegidio absente, necdum mortalitatem exuto, impetrasse alios, quæ à Deo, Aegidio nominato, postulassent, aut aliquid etiam friuolum, modò tamen eius

fuisset nomine, cum reuerentiâ & fide postulatum. At fatuus, ne dicam impius, ille nebulo, qui has nugas scripsit, meminisse debuit, Christum homines docuisse suo, non merorum hominum, atque adeò peccatorum, nomine, non, friuola, sed necessaria Deum rogare.

De eodem.

Contigit vt gallus gallinaceus proximè illum concionem habentem, cucurrire non cessans obstreperet, obturbaretque, quem vt fugaret Aegidius, scipione emisso, ictu certiore, quàm volebat, in capite percussum interfecit, interfectum de coronâ, quidam procul ab aspectu remouerunt, nequâ propter id, tristitiâ vir sanctus afficeretur. Sed ille peractâ concione percontatus est, vbinam esset gallinaceus, quem percussisset: respondentibus esse mortuum imperauit afferri, & ante pedes posito cœpit se redarguere; O Sancta Maria! profectò ego malè feci, quòd in alitem ratione vacuam sic excanduerim. Tunc cœlum suspiciens paulisper, intra se oranti similis, scipione iacentem gallum pulsauit, dicens, Age, surge iam modo, surge, & fungens solito vocis officio, cantu creatorem tuum lauda. Surrexit continuò gallus, & complosis alis cantum replicans, periucundum miranti turbæ spectaculum fuit. Ibidem.

Cecinit iam gallus & ex miraculorum somno expergisci iubet. Audiamus ergo quid porrò dicat Lipsius.

LIPSIVS.

Perge calame, perge pange Virginis Miracula,
Quæ Sichemiensi in agro, tractu COLLIS ASPERI
Euenêre, itemque eueniunt, arbitris his sensibus.
Nos vidimus, nos audimus: quis profectus abnuet?
Nisi professus Scepticam ipsam, & hæresim Pyrrhoniam.

THOMSONVS.

Agis iam & acturus es poetam Lipsi (etsi non continuò scripturus carmina) ad finem vsque libri. Quid enim facit poëta?

— tabulas cùm cepit sibi,
Quærit, quod nusquam est gentium, repperit tamen: Plaut. Pseudo. Act. 1.
Facit illud verisimile, quod mendacium est.

Et quando ille volet,

Maxima de nihilo nascitur historia. Proper. lib. 2. eleg. 1.

Sic & tibi Lipsi de nihilo nata est historia maxima. Tu tabulas cepisti, & miracula quæsiuisti, quæ nusquam gentium fuêre, & tamen reperisti, & verborum fuco verisimilia fecisti tua mendacia : quæ nisi nos amplectamur, nisi credamus, tibi protinus Sceptici sumus, & Pyrrhonici. At vestri ij sunt, non nostri : vestri inquam, Quolibetarij, Quæstionarij, Primo-secundo-secundarij Vtrumistæ, Scotistæ, Thomistæ, omnes denique Sorbonistæ & Sophistæ, qui in superfluis quæstionibus, & dubitationibus mouendis, non remouendis tollendisq; consenescunt : quorũ tota vita in fabulis vetustis defendendis, & adinueniendis nouis teritur. Qui hoc ipsum nobis pro audacia & præsumtione solent obiectare, quod de salute nobis à Deo promissa non dubitemus, vitáque & felicitate æternâ firmiter nos fruituros con-

Rom. 8 15. 16. 17. fidamus. *Non enim accepimus spiritum seruitutis rursum εἰς φόβον, in timorem*, id est vt timeamus & dubitemus de salute, *sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater.) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei & hæredes Dei, & cohæredes Christi.*

Chrysost. in Rom. homil. 14. Ceterùm *quando spiritus testatur, quænam* (inquit Chrysostomus) *linquitur ambiguitas*? quæ linquitur dubitatio & hæsitatio? At vos & dubitatis, & alijs, vt dubitent, soletis suadere. Quid enim nisi dubitationem, hæsitationem & timorem seruilem, inculcat Bellarminus toto tertio de Iustificatione libro? quamuis ipsæ Scripturæ sacræ firmam fidem absque dubitatione à nobis postulant. Vult enim Apostolus nos accedere ad Deum, in

Heb. 10. 22. 23. πληροφορίᾳ πίστεως *in solida certitudine fidei, & spei confessionem* ἀκλινῆ *non inclinantem*, nimirum in alteram dubita-

Iac. 1. 6. tionis partem, tenere : & alius Apostolus, *nihil hæsitantes in fide, Deum iubet nos postulare.* At de vestris nugis quid certi compertique habemus, nisi hoc ipsum, esse nugas? Quare iure de ijs dubitemus. quis enim nobis vera esse vestra commenta testatur? ij qui confinxêre, qui semper fuêre nobis suspecti, & erunt, quamdiu Idololatriæ patrocinabuntur.

LIPSIVS.

In diuina non inquire, crede qui fructum petis.

THOMSONVS.

THOMSONVS.

Qui malè facit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt. Si ergo Lipsi ea, quæ vestri iactant miracula, in Deo fierent, id est, vera essent, & diuina virtute patrarentur, non prohiberent nos in illa inquirere. At quia, ne fraus deprehendatur, verentur, inquiri in ea non sinunt. *Sed illa religio non est vera iudicanda, quæ non habet inquisitionem aliquam veritatis.* Nec homines ita duntaxat statuêre, sed Deus. Ait enim per Apostolum *probate spiritus, si ex Deo sunt: quia multi Pseudoprophetæ venerunt in mundum.* Et alius Apostolus ait, *πάντα δοκιμάζετε, omnia probate.* Non vult ergo Deus nos quidquam accipere, absque aliqua probatione & inquisitione. Quare cùm vos iubere audio, quod Deus prohibet: verbi gratiâ, imagines colere, & contrà, quod ille iubet vetare, Diabolum iam per vos loqui, vt olim per serpentem locutus est, inducor vt credam. Dixit Deus: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Si ex eo comederis, morte morieris:* excepit Diabolus, *nequaquam moriemini*, quare edite certè, eritis enim vt Dij. Dicit & iam Deus, *probate spiritus, si ex Deo sunt:* Lipsius autem; *in diuina non inquire, crede, qui fructum petis:* quid hoc est? nisi, ne proba Spiritus, aut operationes illas, illa miracula, quæ diuina opera dicuntur, ne proba inquam, an ex Deo sint. Sed tu

—felix quicunque dolore
Alterius, disces posse carere tuo.

Felix qui ex miserâ credulitate Adami, disces Satanicas istas, & Dei verbo contrarias voces auersari, & hos, qui veritatis & inquisitionis lumen non patiuntur, si non odisse, certè fugere. Ea enim non inquirendi lex, iampridem multos dedit præcipites. Nec enim noua & nuper nata est illa fraus, sed iam olim *fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, vt populus nesciat quid colat*, nec quare colat, nec magis quid credat, denique quid miretur. Noluerunt veteres in religiones suas inquiri, nec iam patiuntur papistæ *iniquitatis* suæ *mysterium* vulgo patêre. Huc testem aduoco Durandum, qui, *per vestes* (inquit) *quibus in sacris vtimur tantum, non omnia*

Ioan. 3. 20. 21.
Lactan. instit. lib. 4. c. 3.
1. Ioan. 4. 1.
1. Thessa. 5. 2.
Gen. 2. 17. & 3. 4. 5.
Tibull.
Lact. instit. lib. 5. c. 20.
2. Thessa. 2. 7.

Durand. in ration. diuin. offic. lib. 3. c. 1. num. 1.

ſacramenta fore populo reuelanda intelligimus. Sed cur non reuelanda? Certè ſi à Deo ſunt, reuelanda conuincam, nec puros eſſe à ſanguine populi deraſos illos ſacerdotes & monachos, qui populum ea celant.

Act. 20. 26. 27.

Μαρτύρομαι ὑμῖν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων. *Teſtor* (inquit Paulus) *vobis hodierno die me purum eſſe ab omnium ſanguine.* Iam vide cauſſam: οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ, *non enim ſubterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne Dei conſilium.* Quod ſi non annuntiaſſet, vel ſe iudice, non fuiſſet purus ab illorum ſanguine. Atqui ſacramentorum traditio & doctrina, pars eſt illius conſilij: Quare cum non omnia myſteria reuelant iſti ſacerdotes, non poſſunt culpâ vacare. Sin ſacramenta illa diuinitùs non ſunt tradita, ſed malè feriatorum hominum commenta reperiuntur, non velanda, ſed tollenda omninò, & à Chriſtianæ Reip. finibus exterminanda forent, nec credi iuberentur ea, quæ humanum ingenium excogitauit. Sed quid apud eos hæc dico, apud

Apul. de Deo Socratis.

quos ſanctio eſt, *Religionum diuerſis obſeruationibus, & ſacrorum varijs ſupplicijs fidem impertiendam eſſe,* quamuis illæ obſeruationes, quamuis illa ſacra abſurda ſint & impia? Aut quid illum nitar ad ſanitatem reuocare,

Lact. inſtit. lib. 2. c. 3.

qui, cùm errare ſe ſentiat, vltro ipſe in lapides impingat, vt populus omnis offendat? Ipſe ſibi oculos eruat, vt omnes cæci ſint, qui nec de alijs benè meretur, quos patitur errare, nec de ſeipſo, qui alienis accedit erroribus, nec vtatur tandem ſapientiæ ſuæ bono, vt factis impleat, quod mente percepit, ſed prudens & ſciens pedem laqueo inſerit, vt ſimul cum ceteris, quos liberare, vt prudentior, debuit, & ipſe capiatur?

CAPVT. III.

LIPSIVS.

SAne Sichemium *quaſi* ægrorum domus *dicta videtur, quia fortè ibi Valetudinarium,* Sick-heim: *an meliore nomine* Sig-heim, *id eſt, Victoriæ domus? Faciat, quod propinquum oppidum* Dieſt-hemium *dictum: quid niſi Martis & belli ſedes? quia ne ibi caſtra, an ipſe ille Bellicus Deus olim cultus?*

THOM-

THOMSONVS.

Cicero de natura Deorum gentium scribens, multorum tam circa illorum naturam, quàm nomina, vanitatem opinionum reprehendit: & inter cetera, *Magnam*, inquit, *molestiam suscepit, & minimè necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus commentitiarum fabularum reddere rationem: vocabulorum, cur quique* [Dij gentium] *appellati sunt, caussas explicare*: nec tu Lipsi magis necessariam, aut minus si non tibi, at nobis molestam operam in huius oppidi vocabulo excutiendo sumsisse videris. Quid enim hoc ad Dionysium? quid hoc ad fidem miraculorum? quid nostrâ scire interest, cur ita dictum Sichemium? Sed voluisti acumen ingenij tui in abstrusis aperiendis, secretioribusque eruendis è tenebris monstrare. Duas ergo das nominis etymologias: altera est, *Aegrorum domus*, altera *domus Victoriæ*: quarum posterior tibi magis placet, at mihi prior. Nam si tam cupidè, tamque frequentes, vt tu ais, ad collem illum in agro Sichemiensi sitũ turbæ concurrũt, meritò locus ille *ægrorum domus* vocetur: nisi tu fortasse putes, Dementiam non esse ægritudinem. Nec enim ego aliquem sanæ mentis ad salutem illic recuperandam eò credo iturum. Ad *Mathurinum* melius itarent illi hospites dementiæ procuratorem. Ceterùm apage Deum tuum bellicum. Deus noster est belli Deus & exercituum. Mars tuus est dæmonium.

Cic. de nat. Deo. lib. 3.

LIPSIVS.

Sed in eius oppidi finibus, medio illinc miliari, COLLIS *exurgit, leni fastigio: quem* ACVTVM *vulgò dicunt, non quia in verticem talem, aut conum desinat, (imò æquabili ferè planicie est, & satis lata) Sed quia idiotismo rustico, & metaphorâ, terram scabram, aridam, horridam,* Acutam *etiam dicunt*: quam Latinè Asperam, *verè & pro ingenio loci reddas. Ita enim est exsuccum, macrum, amarum ibi solum, frugum & penè herbæ vacuum, arbustis quàm arboribus gaudet.*

THOMSONVS.

Infelicis terræ omnes sunt illæ notæ, à qua felix aliquid bonumque non est expectandum, sed potius (vt ab amaro solo) *radix germinans amaritudinem, per quam multi inquinentur*: & semina satoresque Idololatriæ.

Deut. 29. 19.
Heb. 12. 15.

LIP-

LIPSIVS.

In eius parte verruca, siue colliculus fuit, & in eo quercus: & in hac Diuæ Virginis affixa icuncula: quæ culta accolis à tali initio fertur. Aiunt ante annos centum (& constans ita fama habet) fuisse pastorem, qui oues in eo tractu pasceret: atque is repertam, nescio quo casu, humi imaginem sustulit, in sinum condidit, certus eam domum secum auferre. Parua enim erat, & priuato cultui videbatur opportuna. Sed dum agitat, ecce membra eius omnia stupere, pedes vtique non mouere, & quasi frutex aut stipes ibi stare. Ipse mirari, & animo quoque stupere, nec ad caussam adsurgere: herus autem villicus absens, requirere pastorem suum & gregem. nam hora iam reditui lapsa, & sole remoto nox propinquabat. Itaq; infortunij anxius, eò accurrit: & repperit defixum stantem, & quæ gesta, simpliciter narrantem. At ille mentis melior, imaginem statim recipit, & timidâ religione in veteri suâ sede & quercu ponit. Eoque facto, pastor velut vinculis liberatur: & venerati vterque Numen domum abeunt, rem denarrant, & viciniam totam religionis implent.

THOMSONVS.

Historia hæc fabulosa & impietatis plena, quot periodos, tot habet errores. Primus hic est: accolæ isti Numen centum annos natum colebant, quod olim non erat cultum, cùm adhuc truncus esset, & cùm priùs arbor: quod & anteà ne vel arbor erat, nec in rerum naturâ. Et numen colebant, quod iam non amplius est. Sequente enim capite ais, circa annum 1580 perijsse. Nec dubitari iam potest, quin viginti quinque annorum spatio computruerit, & in terram ierit & puluerem. Non potuit aliquando coli: quia nondum erat: nec iam potest, quia non est: Et insani homines illud coluerunt, cuius principium ipsi viderunt, & finem nouerunt futurum? Secundus error, quod opportunam priuato cultui statuam visam dicis: & pastorem propterea certum fuisse domum auferre. Vtrum ex tuo an ex pastoris sensu opportunam dicis visam priuato cultui? vtrumuis dixeris, ineptè dixeris: Tu illum opportunum cultui putasse dices, quod reperit in luto? illum certè, si id putauit, ex pessimo fictum luto, quiuis ex paullo meliore factus dicet. Tertiò ais villicum, cùm stupen-

tem inuenisset pastorem, & ex eo, quæ gesta, didicisset, timidâ religione imaginem in veteri suâ sede reposuisse. At timida religio est superstitio, superstitiosè ergo reposuit. Deinde, quomodò agnouit ille quercum esse eius veterem sedem? aut si ille sciebat, miror religiosum illum pastorem non etiam sciuisse? Nam DIVAE VIRGINIS non potuit in illa vicinia esse aut coli imago, quin omnes visum itarent superstitiosi. Denique si à Pastoris inuentione coli cœpit ea statua, quomodo inuentæ icunculæ dedit villicus nomen DIVAE VIRGINIS? aut si non ille, quomodo dedit alius? Ceterùm, tum cœpisse coli tua verba mihi innuere videntur. Postea enim quàm dixisti: *In eo quercus: & in hac* DIVAE VIRGINIS *adfixa icuncula: quæ culta accolis à tali initio fertur*, addis statim: *Aiunt ante annos centũ fuisse pastorem, qui oues in eo tractu pasceret: atque is repertam, nescio quo casu, humi imaginem sustulit*: & quæ sequuntur. Initium ergo illius cultus fuit ab inuenta imagine. quam si Tatius ille (qui in cloacâ maximâ Romæ, Simulacrum repertum consecrauit, & cùm cuius esset ignoraret, Cloacinæ nomen, ex loco illi imposuit) inuenisset, TRIVIALEM, aut STERCOREAM, opinor, nominasset: Nec omninò tu malè Lipsi tuam statuam ASPRICOLLEM à loco, in quo consecrata est, nominasti: Sed quam benè Aspricollem, tam malè DIVAM vocasti tuam Gorgona, cuius capite viso obstupuit pastor, & fruticis stipitisque instar immotus stetit.

Lact. instit. lib. 1. c. 20.

LIPSIVS.

Beate pastor cui sacratam imaginem
Datum inuenire, & tangere.
Beata vita rustica, ô vita innocens,
Amica semper Numini!
Te solitudo & à malis secretio,
Cœlestium iungit choris.
Hæc vita quondam, ab orbe condito, fuit
Primigenijs parentibus.

THOMSONVS.

Si beatus ille dici potest, qui fruticis instar redditur & stipitis, sit sanè tuus pastor, sis tu Lipsi cum illo beatus.

LIPSIVS.

Hæc vita redeat, mihi ſit hæc voto, ô Dea!
Vt numen atque te colam.

THOMSONVS.

Nomen, quo te vocem, quæro, nec inuenio. Sed peſtis & monſtrum hominis, vellem ex te ſcire, an Deitas in marem & fœminam diuidatur. Dixit quidem olim Orpheus de gentium Deo Ioue (quo non ſciebat verius numen)

Orpheus in hymno.

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη
Iupiter & mas eſt, & neſcia fœmina mortis.

At non intellexit, eſſe Deum & Deam, aut duos in deitate ſexus, ſed omnia ad vnam colligi vnius Dei poteſtatem, & Deum quodammodo eſſe omnia voluit innuere. Id his verbis docet Cedrenus. Ὀρφεὺς ὁ Θρᾷξ ὁ λυρικὸς — εἰς μίαν δύναμιν, καὶ ἓν κράτος θεότητος ἀνάγων τὰ πάντα θεολογεῖ, *Orpheus Thrax Lyricus ad vnam potentiam & dominationem Deitatis omnia reduci diuino modo ait.* Quo ſenſu dixit & Seneca, *Deus eſt quod vides totum, & quod non vides.* Sed tu Lipſi cum Deum in marem diſſecas & fœminam, *Manichæi* accedis hæreſi, qui Deum fœmineâ maſculâque ſpecie videri aiebat: idem in caſtra *Valentini* transfugis, qui & ipſe Deum marem fœminamque eſſe garriebat. At *Dominus ipſe eſt Deus, nec eſt alius præter vnum.* Non eſt Deus & Deus: non Deus & Dea, ſed vnus verus Deus. Tu tamen iterum tertiumque & quartùm ſiue ſtatuam, ſiue Virginem ad Deitatem attollis; vt imprudenti tibi id excidiſſe nec ipſe queas dicere, nec ſiqui te ſunt defenſuri. Iam quid ſibi vult, quod ſequitur

Cedren. comp. hiſt. ſect. 55.

Sen. in præf. lib. 1. quæſt. nat.

Epiphan. hæreſ. *66.*

Idem hær. 31.

Deut. 4. 35. 39.

Vt numen atque te colam?

Aut hîc verum vis Numen colere, & cum eo, eam, quàm vocas Deam: aut Numen tuæ Deæ & ipſam. Poſtremum non videtur. Hoc enim eſſet, *ipſam* colere & *ipſam*. Primum non licet: eſt enim ſacrilegium, vel tantillum de Dei gloriâ decerpere. Non ſolùm non patitur Deus alios pro ſe & ſui loco, ſed nec quidquam ſecum coli. Ita iuxta ſcripturas ſenſiſſe primam illam & primæ proximam Chriſtianæ Eccleſiæ ætatem, docent illi, qui ea tempeſtate ſcriptorum nobis ſuorum monimenta

Exod. 20. 3. & 23.

menta

menta reliquerunt. *Religio* (inquit Lactantius) *& veneratio nulla alia, nisi vnius Dei tenenda est.* Nunquam enim ille respectiuum illum (vt Scholastici loquuntur) cultum agnouit, qui nullo modo Angelos mortuósue homines colendos asseruit vbique constanter. Non deerant illa ætate filij Belial, qui, quemadmodum & vos etiamnum vultis, Angelis venerationem deberi dicebant. Qui, quia cum ratione insanire volebant videri, illorum rationem, his verbis Lactantius eleuauit. *At dicet aliquis & huic summo, qui fecit omnia, & illis, qui partim profuerunt, suam venerationem esse tribuendam. Primum, nec factum est vnquam, vt qui hos coluit, etiam Deum coluerit, neque fieri potest: quoniam si honos idem tribuitur alijs, ipse omninò non colitur, cuius religio est, illum esse vnum, ac solum Deum credere.* At sentio quid sis excepturus; non eundem honorem Angelis sanctisque hominibus defunctis hâc vitâ dari, qui tribuitur Deo: sed esse Dei cultum latriam, illorum partim duliam partim hyperduliam, sed frustra fugitis ad hanc arcem, quam vnus & alter ex Samuelis libri primi capite septimo versus euertit. Ἑτοιμάσατε τὰς καρδίας ὑμῶν πρὸς Κύριον, καὶ δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. *præparate corda vestra Domino & seruite ei soli.* Obserua illud, δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ.

Lactan. instit. lib. 1. c. 20.

Lactan. instit. lib. 1. c 19.

1. Sam. 7. 3 & 4.

Quid quod λατρεύειν & δουλεύειν promiscuè vsurpantur? Ἐγὼ μὲν ὦ Κῦρε κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην. *Ego vero* (inquit Maritus) *o Cyre vel anima redemerim, ne vnquam hæc seruiret.* Tum vxor; ἑαυτοῦ ψυχῆς ἂν πρίαιτο ὥστε μὴ δουλεύειν, *sua ipsius anima emerit, ne seruiat*: nec in profanis tantum, sed & in sacris literis Paulus promiscuè vsurpat: δουλεύω τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, *seruio Deo cum omni animi submissione*: & rursus: λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ *deseruio Deo patrio*, per *deseruiendi* verbum ipse vetus interpres λατρεύω vertit.

Xenophon Cyropæd. lib. 3. & Viues in Aug. de ciuit. Dei. lib. 10. c. 1.

Act. 20. 19. & Act. 24. 14.

LIPSIVS.

Dum Parca me fallens mea,
Obrepat, atque abducat ad cœlestium,
præeunte Diua te, choros.

THOMSONVS.

In Constantia tua Parcas derisui habes, & anilem turbam

Lips. de Constan. lib. 1. c. 17.

turbam per contemtum vocas, quasi nihil in rerum naturâ gerant negotij: hic tamen, quasi Parcæ te abducendi data sit cura, eam expectas. Sed hoc leue est. Pergis blasphemias euomere: & aduersus beatam Virginem mentiris, & Christo derogas. Quasi Virginis hoc sit negotium præire, aut viam sternere ad vitam beatam, aut locum alijs parare in cœlis. *Præcursor* noster est Christus: ille *præiuit, vt paret nobis locum.* Ille *Via* est. Nec quisquam *ad Patrem* (circa quem sunt cœlestium chori) *nisi per illum admittitur.* Ille *Ostium* est. *Siquis per illum introierit, saluus erit.* At tu Lipsi si non per hoc *ostium* intras etiam in cœlos, fur es. Porrò *fures regnum Dei non possidebunt*, sed eos *abducent* (quod tu verbum infeliciter hîc vsurpasti) non Parcæ, sed Eumenides.

Heb. 6. 20.
Ioan 14 2 6.
Ioan. 10. 9.
1. Cor. 6. 10.

CAPVT. IIII.

LIPSIVS.

SEd enim euenit, & candidè fatendum est, vt dicta imago illa, siue statua perierit: incertum qua vi aut casu, nisi quòd suspicio prædones culpat, in ijs lustris assiduos per hæc bella, non solùm crebros. Ea amissio incidit circa annum 1580 vt aiunt. Et conspici ibi DIVA *desijt, sed non coli. Veniebant enim nihilo segniùs, ad locum loculumque vacuum: & opem ac solatium inueniebant.*

THOMSONVS.

Diuam dicis desijsse conspici. Vbi aut ipsam Diuam aut eius statuam, aut virtutes necesse est intelligas. Virtutes non potes intelligere, quia addis, nihilo segniùs ventum esse ad locum, & opem illic inuentam. Diuam ipsam non magis potes intelligere: quia id conspici desijt, quod priùs illic conspiciebatur. Diua autem ipsa non conspiciebatur, sed eius imago. Restat ergo vt intelligas statuam siue imaginem. At *non potest vnquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco, & imitatione mentitur:* Statua ergo illa muta, surda, cæca, & merum lignum à te absurdè, impiéque Diua vocatur: nec minùs impiè sedem illius idoli iam amissi, stulti insanique homines venerabantur.

Lact. instit. lib. 2. c. 19.

LIPSIVS.

LIPSIVS.

Quis miretur aut culpet? Persæ regis sui sellam venerati sunt, quia maiestas illa insedisset, & attactu velut sacrasset: cur non liceat pijs loca Numini electa? & consecrata?

THOMSONVS.

Omnes sanæ mentis iure mirantur, iure culpant, & cum prophetâ clamant: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Væ vobis, qui culpanda non culpatis, & culpâ dicitis vacare. Dic sodes Lipsi; an quidquid Persæ fecere, id nobis Christianis liceat facere? Certè nc vel gentilis omnes illorum mores poëta probauit, qui dixit: Esa. 5. 20. 2. 1.

Persicos odi puer apparatus. Horat. carm. lib. 1. oda 38.

Deinde, an quod illi in honore politico fecerunt, id nos omne in religioso imitari debemus? Tertiò fac religiosum fuisse cultum: nobis tamen gentilium ritus non erunt sequendi. Sed quid si Persæ etiam trullam in qua aluum purgabat Rex, & maiestate sua attingebat, fuissent venerati? tu vel inde pudendam putidamq; rationem traheres, ad topolatriam firmandam. Cur non etiam addidisti Lipsi id, quod non minus momentum habuit, meritò vos venerari quercum (in qua fuit idolum) quia & Persarum rex Xerxes, vt testatur Ælianus, adorauit Platanum. Dic ergo Lipsi: *Quercum, & ex ea factas icunculas nostri venerati sunt: quis miretur? quis culpet? Et Xerxes platanum veneratus est.* Ælian Var. hist. lib 2. c. 14.

Sed ad tuum quæsitum redeo: *cur non liceat pijs loca numini electa & consecrata,* venerari? Certè Lipsi non licet: quia *nihil colendum est, quod oculis mortalibus cernitur, quia mortale sit necesse est.* Herosolymitanum templum Deo consecratum quis Iudæus vnquam veneratus est? Beata Virgo Deum in vtero gestauit, nec tamen quia illa quodammodo maiestate illâ attacta est, vnquam viua fuit culta, nec mortua, nisi ab Idololatris, vt infra videbitur; à puriore illa antiquitate reprehensis. Lact. instit lib 2 c. 3.

LIPSIVS.

Nec tamen quercum illam (nemo censeat) ob ipsam; sed in

ea statuam, in statuâ Diuam, in hac Deum venerati sunt, & adorarunt.

THOMSONVS.

Tantarum certè ineptiarum piget. Vbi quæso foret huius acerui finis, si quæ addi possent, adderentur? Deum in Diuâ, Diuam in statua, statuam in quercu venerati sunt. Cur non & ob quercum terra, ob terram aqua, in qua terra est, adorabitur? nam vt quercus statuam, ita terra quercum, & aqua terram tangit. Age verò: non adorarunt (inquis) quercum ob ipsam, adorarunt tamen, & propter aliud: qua adoratione adorarunt? Latria an Dulia? At neque quercus, neque statua erat Dominus cui Dulia, nec Deus cui Latria debetur. Scio quomodo hic in distinctionum vestrarum dumeta correpatis. Non colitis absolutè, sed cum respectu.

Lucr. 2. *O miseras hominum mentes, o pectora cæca!*
Qualibus in tenebris vitæ
Degitur hoc æui, quodcunque 'st!

Deut. 6. 13. Nonne vetus Testamentum clamat & *Nouum, Domi-*
Matth. 4. 11. *num Deum timebis, & illi soli seruies?* Et Samuel clarissimè
1 Sam. 7. 3. αὐτῷ μόνῳ δουλεύσατε. Nonne & ipse Deus cœlitùs to-
Esa. 42. 8. nat? *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus?*

Nec solidam suam laudem & gloriam patietur Deus, nec decerptam alteri dari. Non vult aliud propter se religioso cultu adorari. Respectiuus hic cultus non hominis sed Satanæ est inuentum. *Adorandus* (inquit Cyrillus) *est Deus solus, Deus inquam naturâ & verè: nec vlla sit eorum ratio,* [obserua mihi hoc] *quos fabrorum scientia inuenit, neque etiam hominum, qui à quibusdam, Deorum nomine insigniuntur.* [Sicut à te Lipsi, virgo Deæ] *Est enim hæc Necrolatria, & prætereà nihil.* Nulla, inquit, sit ratio vel hominum, vel eorum quæ manus hominis efformauit. Quid ergo respectiui cultus puluerem in oculos nostros iacere tentatis, ne vnum vnius indiuisibilem, incommunicabilemque Dei cultum videamus atque sequamur? Illud non est respicere Deum, sed despicere; quid enim illi relinquitur, quod habeat solus, si adorationem illi damus cum creaturis?

(Cyril. in Esa. c. 40.)

LIP-

LIPSIVS.

Nec in statuâ sanè propriè vis aut virtus: quod res hîc docuit, eâ amissâ, & mox mutatâ. Nam post annos septem, id est anno 1586 religiosus quidam senior & Senator Sichemiensis, conspectâ affluentium multitudine & ardore, qui inter sicarios & tela prædonum, non absistebant locum hunc petere; suffecit imaginem arculæ ligneæ impositam, & quercui ibidem affixit.

THOMSONVS.

Duo hic capita excutienda habeo, tempus & cultum imaginis suffectæ. Tempus ais tu Lipsi fuisse quo suffecta est imago, annum 1586. At ille, qui hanc ipsam fabulam edidit Gallico idiomate in schedâ, *Lucæ Boxtelli* approbatione ornatam, ait annum fuisse 1587. Vtrum iam ille veriùs te, an tu illum, an ego vtrumque mentitum dicam? Sed promtum est, typographum hoc errore onerare: onerate: licet. Venio ad imaginem nouitiam, & adhuc insolentem miraculorum. Suffecit ergo Sichemiensis Senator aliam imaginem: quo fine? eo certè, quo *Godefridus Pastor Sichemiensis* (vt infrà narras) in sacello modico collocauit, id est, vt ipse ais, *venerationi augendæ*. Nec dubitandum est, quin hæc statua, vt prioris loco successit, ita & cultui successerit. Si culta; vel dicata consecrataque fuit, vel non fuit. Si non consecrata, tamen colebatur; res omnis sanctitatis expers & profana colebatur. Nam diuinum numen in hac sedisse siquis dicat, coarguentem audiat Deum. *Quis est iste locus quietis meæ?* Rursus, si dicata fuit; Idololatriæ maculâ aspersi estis,

Excusa Antuerp. apud Hadri. Hubertum.

Esa. 66. 1.

dirimi quæ non queat vsquam:
Non mare si totum velit eluere omnibus vndis.

Lucr. lib. 6.

Quid ita? dices. Quia *imagines idola, imaginum consecratio idololatria*. Consecratam autem esse à vobis illam imaginem certum est, quia etsi abfuit fortasse externa illa dedicationis ceremonia, tamen interna mentis impietas, quæ coluit, dicauit. Nec est quod futiles imaginum & idolorum distinctiones nobis afferatis, idolumque eius tantummodo, quod nunquam fuit, fictam formam dicatis, eo quòd Apostolus idolum nihil in mundo esse dixerit. Nam *Apostolus*, inquit Thomas, *intelligit*

Tertull. de Idololatria.

Bellarm. de Imag. to. 2. contro. 4. lib. 2. c. 5. Tho. 22. q. 94. ad 3.

git nihil esse in mundo, quia imagines illæ, quæ idola dicebantur, non erant animatæ, aut aliquam virtutem diuinitatis habentes. Quæ explicatio an vestris conueniat imaginibus, necne, vos videte. Porro imaginem idolúmque idem esse, veteres recentioresque agnoscunt. *Tertullianus* de Iololatria, Isidorus, Petrus Faber: & qui omnium instar tibi erit Lipsi, Iustus ille Lipsius, qui εἴδωλα ex Eusebio imagines interpretatur. πολυπληθείᾳ Θεῶν θαρρῦντες, σὺν πολλῇ δυνάμει χειρὸς στρατιωτικῆς ἐπῄεσαν νεκρῶν εἴδωλα θανόντων ἐν ἀψύχοις ἀγάλμασι προβεβλημένοι. *Hi quidem numero Deorum freti, cum multa manu militari ingruebant, mortuorum imagines in signis inanimatis præferentes.* Sunt ergo imagines idola, & qui eas colit, idololatra. Quare cum vos Lipsi colatis, Idololatras vos esse necesse est fatearis.

Tertull. de Idololat. Isido. originum libro 8. c. 11. de Dijs gentium.
Pet. Faber Agonist. lib. 1. c. 5.
Lips. in not. ad c. 9. lib. 1. de Cruce citat. ex Eusebij libri 2. capite 16. de vita Constantini.

LIPSIVS.

At quercus paullò antè consilio & decreto, à stirpe excisa est: idque vel ideò, quòd trunco variè scisso, & imminuto, cùm fragmenta & assulas quisque sibi peteret, casum iam minabatur. Excisa itaque & Sichemium, quod eius superfuit, translatum. Vnde quidam & icunculas sibi fecêre, & piè colunt: alij frustulis in potu vsi, & constat quòd cum morborum medelâ.

THOMSONVS.

Quæ subita hæc mutatio? quæ modo culta fuit quercus nunc erit excidenda? Illa est reuerentia, quam loco Numini electo, & eius sedi datis? At enim minabatur casum. Prudenter ergo excisa. ne, quæ fictis claruit miraculis, non fictâ in capita miserorum ruinâ foret infamis, & *nefasto*, vt ait poeta, *posita die* diceretur. Excisa ergo fuit: vtinam cum ea superstitio: sed

Horat. carm. l. 2. oda. 13.

vires à vulnere sumsit.

Cùm enim in eâ stante vna tantum icuncula coleretur, eadem nunc prostrata, facta est fœcunda Mater Deûm, aut potius, quasi Hydra truncata, in plura capita monstrum resurgens. Inde enim ais quosdam icunculas sibi fecisse, & piè colere. Qui ad antiquam illam Idololatriam valde accedunt eorum, qui delibratum fustem decorticatumue venerati sunt, & delubrum appellarunt. Nam lignum modò erat cum cortice, quod iam decorticatum & dolatum colere dicis homines ligno ipso quod

Rosin. Antiq. Rom. lib 2 c 2 ex Paulo Festi abbreuiatore.

quod colunt, magis ligneos & stupidos obtusosque. At veteres illi, dices, coluerunt delubrum pro Deo, quod non faciunt, qui icunculas illas colunt. Imò si colitis, pro Deo colitis: quia religiosè coli nihil debet nisi Deus, vt suprà ex Lactantio ostendi. Lactant. instit. lib. 1. c. 20.

Quare impiè dicis tu eos piè colere. Tantùm absunt à pietate, vt nullam habeant religionem; nisi Lactantium dicas mentiri, qui *non dubium esse*, dixit, *quin religio nulla sit, vbicunque simulacrum est.* Et contra: *Nos soli*, vt idem ait, *omnium religiosi sumus quoniam contemtis imaginibus mortuorum, viuum colimus & verum Deum.* Deinde, nos solo verbo Dei scripto contenti sumus, & sola amplectimur τὰ ἱερὰ γράμματα τὰ δυνάμενα [ἡμᾶς] σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *sacras literas quæ possunt nos sapientes reddere ad salutem, per fidem in Christum Iesum:* & didicimus τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, *non sapere supra id quod scriptum*, & vanum, atque adeo impium imaginum cultum, quia non est *iuxta Legis & Testimonij sermonem*, abominari; non *aquâ* (vt vocatis) *benedictâ minora illa elui peccata*, sed *fidei lauacro vniuersa vitia depelli profitemur.* Quorum nihil in vestra religione cernitur, si tamen religio dici potest, quæ, vt colit imagines, ita nihil ipsa est nisi imago, &, vt loquitur Lactantius, *mimus religionis.* Quid enim aliud in religione vestra, quàm partim *ritum ad digitos pertinentem*, partim, vt queritur Polydorus Virgilius, inanem inutilemque cantillationem, & varias gesticulationes videmus & audimus? *Nostra autem religio eò firma est & solida, & immutabilis, quia iustitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet.* Iustitiam inquam docet, eamque quæ maxima, Deo dare quod est suum, id est omnem cultum religiosum illi vni tribuere. At vestra maximam docet iniustitiam, quia Idololatriam. Etenim *caput iniustitiæ Idololatria est.* Idololatriam docet, quia imagines consecrat: *quas suprà idola esse ostendi.* Rursus: nostri doctores eam in mente sapientiam habent, quam præcones vestri, animarum prædones *capillis* tantum & *habitu iactant.* Nec ita dico in mente habere, quasi nunquam sapientiam ore doceant & stilo, sed quia ea sint

Lactant. instit. lib. 3. c. 19.

Idem. lib 7. c. 26.

2. Tim. 3. 15.

1. Cor. 4. 6.

Esa. 8.

Peronetus in Enchiridio.

Lact. instit. lib. 5. c. 20.

Lactant. instit. lib. 2. c. 19.

Idem lib. 5. c. 20.

Polyd. Virgil. de Inuent. rerum li. 2. c. 5.

Lact. vbi sup.

Tertull. de Idololat.;

Ibidem.

Lact. de Ira c. 22.

modeſtiâ, vt non venditent, vt veſtri faciunt impoſtores, mercatorum ſimiles, qui in tabernis multa habent loculamenta, multarum mercium nomina in fronte ferentia, ceterum inania; & librariorum, qui librorum titulos in pluteis aſſeribuſque habent deſcriptos, libros ipſos non habent: aut tabularum inſtar, quæ ſuſpenſæ pro foribus, commodum tibi promittunt hoſpitium, in quo vix aliud videas, ingreſſus, quàm inanias. Sed totum impietatis veſtræ & iniquitatis myſterium nolo percurrere: nam infinitum eſſet: Et ad impiam tuam pietatem redeo. Piè ergo dicis veſtros colere icunculas ex quercu illa factas. Piè ſanè: ſi id piè coli poſſit, quod dæmonum eſt inuentum. Nam *hi ſunt qui fingere imagines & ſimulacra docuerunt.* Quid dæmonum inuenta loquor? qui imagines colunt, ipſos colunt dæmonas, qui *ſub nominibus mortuorum deliteſcentes viuentibus plagas tendunt.* Adſtipulatur *Tertullianus: Vtique ſcimus, licet nomina* [idolorum & imaginum] *inania atque conficta ſint, cum tamen in ſuperſtitionem deducuntur, rapere ad ſe dæmonia, & omnem Spiritum immundum per conſecrationis obligamentum. Alioquin Dæmonia nullum habent nomen ſingulatim, ſed ibi nomen inueniunt, vbi pignus.* Non eſt quod vos Tertulliani verba non ferire dicatis. Scio quomodo ſoleant veſtri homines ſi non eludere, at eludere tentare. Dicunt *conficta* illa, gentilium tantùm ſimulacra ſignificare. At cùm ex Tertulliano oſtenderint, vllum ſimulacrorum genus poſſe coli, tum illorum diſtinctionem amplectar, & cum illis ſimulacra venerabor. Sed hoc apud eum conſtantiſſimum eſt, imagines & ſimulacra eſſe idola, eorumque conſecrationem & cultum eſſe idololatriam. Porrò Ioannes, cum in Apocalypſi dixiſſet *homines non pænituiſſe operum manuum ſuarum*, addidit illa opera, in genere *Dæmonia*, tum ſpeciatim *ſimulacra aurea, argentea &c.* οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, οἳ οὐκ ἀπεκτάνθησαν ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις, οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων τῶν χειρῶν αὐτῶν, ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια, καὶ τὰ εἴδωλα τὰ χρυσᾶ, καὶ τὰ ἀργυρᾶ, καὶ τὰ χαλκᾶ, καὶ τὰ λίθινα, καὶ τὰ ξύλινα, ἃ οὔτε βλέπειν δύναται, οὔτε ἀκούειν, οὔτε περιπατεῖν, *Et ceteri homines, qui non occiſi ſunt in his plagis, non egerunt pænitentiam de operibus manuum ſuarum*

Lactant. inſtit. lib. 2. c. 17.

Ibidem.

Tertull. de Idololat.

Apoc. 9. 20.

arum, vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, nec audire, nec ambulare. Id est, inquit Dionysius Carthusianus, *de idololatria sua se non emendauerunt:* Et Franciscus Ribera, *vt non adorarent dæmonia* interpretatur, *vt aliam vitæ rationem instituentes adorare desinerent idola, quæ dij putantur, sed dæmonia sunt.* At vos non putatis imagines vestras esse Deos, nihil ergo omnia ista aduersus vos. Neque ita obtusi erant gentiles vt ipsum aurum argentum, æs, lignum, saxum, putarent esse deos. Cur enim darent illis in cælis domicilium, si putarent ipsos terram esse, & prorsus in terris? At numen aliquod cœlitùs in illa idola influere, & per illa respondere credebant. Deinde si idola illa fuisse deos credidissent, tot habuissent Ioues, quot Iouis statuas. Neque vos aliter sentitis, qui Mariam Deam facitis, & vel eam trunci nomine dehonestatis, vel eius nomine honestatis truncum. Et iam etiam *delitescunt sub mortuorum nominibus dæmones, & viuentibus plagas tendunt*, & vestrâ captorum, & nunc humi iacentium operâ, alijs, nil nisi Deum & cœlum spectantibus capiendis, (vt aucupes captorum anserum fallace & illice strepitu, ad eos, qui sublimes per aera volant, captandos) abutuntur. Nihil in Idololatriâ erat gentilium, quod non in vestro cultu reperiatur; nisi fortasse hoc, quod non videamini, hominum corporibus, idolis vestris litare. Sed qui animas illis offerunt, non possunt, non simul & corpora offerre. Tu certe Lipsi te non Deo sed Idolo consecrasti voto exsecrabili. Sic enim alloqueris Hallense tuum Idolum. IPSVM ME, *& hoc quidquid ingenij ac stili est, tibi* DO, DICO, CONSECRO, *quod ex animo feci ante biennium.* Et peculiarem habet quisque inter vos vel patronum vel patronam (sic vos vocatis) cui se consecrat atque dicat. Ita vt humanorum corporum sacrificia etiam iam idolis offeratis, etsi non cruenta, nisi cum ex nobis hecatombas facere visum est, ad Mariam vestram placandam. Sed vt à vero hoc sanguine ad fictitium illum in statua, sanguinis sudorem transeam; eorum, quæ hoc capite dixi, summam paucis complectar. Si imago, est idolum: Si imaginum consecratio, idololatria:

Dionys. Carth. in Apoc. 9.
Ribera in Apoc. c. 9.

Lactant. instit. lib. 2. c. 17.

Lips. Diuæ Hall. cap. vlt.

latria: si nulla religio vera, vbi simulacrum est: si dæmonum inuenta sunt simulacra: si dæmonia colunt, qui mortuos sub imaginibus dicatis colunt: vos non potestis Lipsi omnes negare, vos idololatras esse, nullam veram religionem habere, ipsa denique dæmonia adorare. Nisi ergo vultis prudentes in laqueo teneri, & vincula vestra amatis, agnoscite tandem & fatemini vestram stultitiam, & ad animi sanitatem redite. Reijcite
Esa. 30.22. idola *sicut immunditiam menstruatæ*. Missos facite hos i-
Ier. 10.8. diotarum libros. *Doctrina vanitatis lignum est*: contemnite, & detestamini. Ad librum recurrite naturæ, ad
Psal. 19. *Legem & ad Testimonium*. Nolite amplius allucinare:
Esa. 8.20. sed *ambulate in lumine Domini*. Quod si stat aspernari:
Esa. 2.5. *ambulate* sanè *in lumine ignis vestri, & in flammis, quas*
Esa. 50.11. *succendistis*: in traditionum inquam vestrarum ignis fumosi lumine ambulate: at *in doloribus dormietis*.

CAPVT. V.

LIPSIVS.

AT iam ad ipsa miracula veniamus —— & certum nobis, nihil nisi certum dare. Primum igitur, quod memorem, est in ipsâ statuâ, quam sanguinem stillasse, plurium oculis est vsurpatum.

THOMSONVS.

De naturâ, origine, causâ, fine, & toto genere miraculorum vt occasio fuit, suprà dixi. Nunc ipsa miracula vt videamus, restat. Veruntamen non est consilium omnia excutere, sed siquid ad eorum originem auctoritatemque firmandam dicetur, obseruare: & num fidem aliquam mereatur, aut habeat momentum, videre.

Certum ais tibi Lipsi, nihil nisi certum dare. At quisquis semel & iterum mendax repertus est, nunquam mendacij suspicione caret, iuxta illud iuris: *qui semel malus, semper præsumitur malus*. Fraudem tuam in Augustino, Richardoque tibi patronis aduocandis suprà deteximus. Quare te falsa iam obtrusurum, qui vera ausus es corrumpere, non dubitamus.

Ea, quæ hoc capite es complexus (ne hîc verbis tuis transcribendis tempus teram) ad tria capita video referri.

ferri. Primum est ipsum miraculum, sudor sanguinis in labro statuæ. Secundum est, veritatis miraculi confirmatio, quod explorarint aliqui, num fraus esset, aut num *perplueret, nequis humor fortè delapsus, fefellisset.* Tertium est, tua interpretatio & vaticinium. Ad factum quod attinet, non est nouum, nec inauditum, apud vos eiusmodi miracula comminisci. Nec defuerunt sæpe qui fraudes illas indicârint. Ne longum ergo faciam, vnum afferam testem, quem, nisi cum vestro dedecore & ignominiâ, reijcere nequeatis. Is est *Franciscus Foixius, Candalæus* qui talem dolum inter suæ religionis impostores detectum sic narrat. *Nostrâ tempestate, Mureti in agro Tholosano Crucifixi statua fuit, quam per aliquot menses fleuisse dictitabant; sed auaritia quorundam ministrorum fani, dolum eum excogitatum fuisse compertum est, facto foramine retro, quod oculis responderet, vnde humor quidam distillabat: quare eò frequens peregrinantium turba confluxit.* Doli isti, & *piæ fraudes* (vt solent vocari) tam frequentes inter vos fuère, tamque sæpe obseruatæ, vt iam vestra miracula careant admiratione. Hoc certè sudoris sanguinei miraculum (si tamen verum est, talem in illa statua sudorem conspectum) pari fraude, & cæco aliquo ductu humoris immissi, persuasissimum habeo euenisse.

Foixius côment. in Pœman. Mer. Trism. c. 16. Sect. 14.

Nec secundum caput suspicione caret. Obtinet enim illud iuris vbique: *qui nimis cauet, non cauet.* Tu Lipsi vt omnem suspicionem tolleres, sudoris illius sanguinei repertores tectum operosè circumspicere facis, & nuncubi perpluat, obseruare, denique omni diligentia nodum quærere in scirpo. *Mendacem decet memorem esse,* vetus verbum est. Et tu Lipsi, non veracissimus, meminisse debebas te paullò ante dixisse, hos ipsos inuentores & circumspectores quartùm abstersisse visam in statuæ labro guttam. Viderunt, absterserunt; altera in abstersæ loco se ostendit, & eâ abstersâ, altera, id denique fit quartùm: vident, & tamen circumspiciunt num perpluat? logi. Tu nimis lemosos oculos das istis, & hebetes nimis facis, qui ipsi sibi non crediderint.

Tertium caput duas habet partes pro duplici tua sudoris interpretatione: priorem linquo, dicis enim tantùm Deam sudando sanguinem, dolorem sanguinis hoc

æuo effusi exprimere: In posteriore (*nam nunc Lipsius est inter prophetas*) vaticinaris, sed interrogando. Vanos impiosque versus irridendos exsecrandosque lectori adscribo.

LIPSIVS.

Quid signi tamen hoc fuisse dicam?
An sudas, DEA, sanguinem hoc in æuo,
Quo sanguis malè funditur: dolorem
Et sic exprimis? an magis cruenta
Sistes bella, tuisque gutta labris
Vt detersa fuit, sic & madenti
Huic fiet patriæ? ò benigna fiat:
Et iuua precibus, Deumque placa.

THOMSONVS.

Quomodo quæso Lipsi conueniunt hi versus cum inscriptione? Inscriptio est capitis, vel summa, [SANGVINIS SVDOR IN STATVA] At versus

An sudas, Dea, sanguinem hoc in æuo,
&c.

Si Dea vel ipsa Virgo sudat: statua non est, quæ sudat. Si statua sudat, non sudat Dea: Nec enim statua, est Dea; nec Dea statua. Deinde Deæ tuæ das sanguinem: nimis absurdè, & peius Epicuro: Ille enim *non sanguinem, sed quasi sanguinem Deum habere dicebat.* Tum ore impio & blasphemo, vel statuam ligneam vel etiam Virginem vocas Deam: quarum neutra esse potest. Postremò, quòd in fine Deam tuam iuuare precibus obsecras, id valdè est dilutum. Nam siquid in ea Deitatis est, si (vt ipse loqueris) Dea est, eam afficis contumeliâ, & diuinorum te beneficiorum ignarum prodis. *Is enim non intelligit diuina beneficia, qui se tantummodo à Deo iuuari putat.*

Cic. de nat. Deorum. lib. I.

Lactan. instit. lib. I. c. II.

CAPP. VI. VII. VIII. IX.

SExtum, septimum, octauum & nonum capita, in queis clauda & cæca miracula, prætereo, & ad Decimum venio; in quo alia miraculorum species, *vindicta.*

CAPVT

CAPVT. X.

LIPSIVS.

AT qui & vindicem se, non beneficam solum, est vbi ostendit. Diesthemij *cuius erat (nomen consilio non prodimus) qui vxorem suam, aliasque fœminas illudebat identidem, vt fœminas, quæ ad hanc imaguncularn aut pupam irent, & quæ solent isti talium contemptores. Ad Diuam conuicia venerunt: ab ea supplicium, an remedium dicam? Nam vtrumque fuit, & hoc ab eo fluxit. Statim ille, sine caussâ aliâ, claudus effectus, internis doloribus etiam adflictus, denique lecto adfixus. Quid ais homo? numen agnoscis? Agnoscit. ad Diuam se vertit, & seriò pœnitens pacem veniamque tum & sanitatem apprecatur. Vouet ad* Collem *ire, & iuit. O benignitas! sanitatem corporis statim recipit: an non & animi? putamus.*

THOMSONVS.

Plena miraculosis hisce vindictis est vetustas. *Appius Claudius Censor, cùm aduersus responsum, sacra Herculis transtulisset ad seruos publicos, luminibus orbatus est.* Item: *Censor Fuluius, cùm ex Iunonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ equestris, quam Romæ fecerat, tegeret, & mente captus est, & amissis duobus filijs in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumtus est.* Quid Æsculapij vindictam memorem in Turullium, qui eodem in luco, quem ad classem faciendam euertit, à Cæsaris militibus interfectus fuisse dicitur? Quid Pyrrhi naufragium, ob Proserpinæ Locrensis thesaurum compilatum? Quid Brennum, qui Apollini pœnas dedit? Quid militum Alexandri oculos à Cerere extinctos? Nimis longum foret & parum vtile, varia vindictarum genera à Dijs falsis humano generi illata enumerare, quæ tam audacter à vetustate asseuerantur, vt à vobis vindictæ nouæ. Vtque persuasum habebant veteres, Dæmonia sua numinis sui contemtores damno aliquo mulctare, & ab ijs contemti numinis pœnas expetere, ita & morbos & egritudines depellere credebant. Nonne Castor & Pollux (qui Dij habiti sunt) eo quod Stesichorum sororem illorum Helenam contumelijs proscidisset,

Lactan. instit. lib. 2. c. 8.

ſcidiſſet, eum excæcaſſe dicti ſunt, eidemque precibus leniti lumina reddiſſe? Id his verbis canit Horatius

Horat. lib. Epod. oda. 17.

Infamis Helenæ Caſtor offenſus vice,
Fraterque magni Caſtoris, victi prece
Ademta vati reddidêre lumina.

LIPSIVS.

Euenit, euenit hoc, audi impia turba, profanis
Quæ ſalibus gaudes diuina illudere facta.

THOMSONVS.

Quo magis id eueniſſe inculcas, eo minus credimus. Malæ merces egent præcone. Vende tuis iſtos fumos: nos ſpernimus & ſpernemus. Doctores, Cenſores, Epiſcopi, ipſe ψευδαρχιερεὺς Papa approbet; neque nos tamen fabulas tuas credemus, & tu ipſe (ita mihi perſuadeo) mendacia te edidiſſe, intra te agnoſcis & tibi das ipſi pœnas, nam

Iuuen. Sat. 13.

ſe Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

Tibi, inquam, ipſi nunc mendacij tui pœnas luis, pôſt Deo ſoluturus.

Sen. de vi. bea. c. 27. Dionyſ. Cartha. in Apoc. 6.

Mendacio addis conuitium, & nos impiam turbam vocas; ſed *cùm in cœlum inſanis, non dico ſacrilegium facis*, ſed *operam perdis*. In cœlum, id eſt in Eccleſiam (ita Dionyſius Carthuſianus interpretatur) quæ penes nôs eſt, quidquid vos iactetis. Vos impia turba eſtis, qui profanos gentilium ritus ab inferis reuocaſtis, Principum vitæ inſidiamini, pietatis & veræ religionis vindices miſerrimis modis trucidatis: fidem datam pro ludo habetis, fallere: nil aliud denique habetis pro religione, quàm iniquitatis myſterium. Quod ſi tu non iam agnoſcis Lipſi, olim ſenties, cum mendaciorum, conuitiorumque pœnas perſolues, ſcieſque tum, quod nunc non

Lact. lib. de Ira Dei. c. 10.

pendis, *quanto melius fuiſſet tacuiſſe, quam in hos vſus miſerabiles habuiſſe linguam.*

CAPP. XI. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII.

CAput vndecimum nihil habet præter fabulam. Duodecimum, etiam impietatem manifeſtam:

Antiſtitam

Antistitam spes & opes omnes in vna posuisse Diua Aspricolle, quæ in vno Deo debent poni, vt suprà ex Scripturis ostendi.

Decimotertio ludis. De claudo enim loquens fabro, ais: *Audit de Diua Virgine, nouellisque miraculis: capitur ire, & in animo obfirmat. Quid facies æger & claude, Vulcani filii?* Quid est, si hoc non ludere est? Quos miraculosè Diua tua sanauerit, instituisti narrare, & nunc pro homine sanando, subiicis filium Dæmonij. Quid enim Vulcanus? Dæmonium; vt omnes gentium Deos ex Lactantio, Tertulliano, & ipsis Scripturis sacris esse demonstraui.

Decimumquartum in alterius miraculi fingendâ pingendáque vanitate teritur.

Decimumquintum, præter miracula, dat ritu gentili *tutelarem Diuam*. Cui par est Decimumsextum, quod dat *bonum Genium*. Decimumseptimum meras miraculorum nugas. Macrob. Saturn. lib. 3. c. 9.

CAPVT. XVIII.

DEcimumoctauum, præter miraculum, duo alia ostentat monstra, nescio quam *expiationem* & *sacrum viaticum*. Dicis enim, quia *Henricus Vischerius* 76 ætatis annum agens, debilis & æger, *Collem asperum*, ad recuperandam sanitatem, adire statuisset, & sui, ne in itinere deficeret, timerent, visum esse vt prius se expiaret, & sacrum viaticum sumeret. Quæ (malum!) est illa expiatio? An peccatorum, quorum nemo omnium meminisse potest, enumeratio? an vana per sacerdotem peccatorum solutio, & æternæ vitæ pollicitatio? Expiatio scilicet. *Fontes isti sine aqua, exagitatæ turbinibus nebulæ* audent peccatorum absolutionem (vt ipsi loquuntur) seu *libertatem* (vt phrasis Scripturæ sacræ) *ipsi serui corruptionis polliceri? Ego sum, ego sum Ipse*, inquit Deus, *qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra siquid habes, vt iustificeris.* Neque quidquam, nisi *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, & expiat. Qui nunc semel in consummatione seculorum, ad destructionem peccati*,

Psal. 19. 13. 2. Pet. 2. 19. Esa. 43. 25. 26. 1. Ioan. 1. 7. Heb. 9. 26.

cati, per hostiam sui apparuit. Nec omnes, quotquot sunt, vestri sacrificuli vnquam probabunt, vllam esse expiationem iam peccatorum in terris, nisi quam Christus potenti virtute nobis per fidem elargitur. Semel facta est illa expiatio non iteranda, vt toto decimo ad Hebræos capite patet.

Iulius Pollux.

Deinde, quod est illud *viaticum*? An Græcorum *danace*? an medicata illa *μελιττοῦτα*, quam soliti erant veteres morituris & iam decessuris dare allatranti Cerbero proijciendam? An Latinorum *triens*? An verò mentitum corpus Domini *popanum*? mentitum inquam. Nam cùm diuinitas eius sit vbique diffusa, nullisque inclusa terminis, tamen illum secundùm humanitatem (quidquid clament vestri sophistæ) δεῖ τὸν οὐρανὸν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ' αἰῶνος: *Oportet cœlum capere vsq; ad tempora restitutionis* (aut instaurationis) *omnium, quæ dixit Deus, per os omnium sanctorum Prophetarum, à seculo.* Nec *enim amplius Christum secundum carnem nouimus*: ait alter Apostolus. At vos carnem eius iam extra cœlum esse, & corpus à sacerdotum manibus tractari, & Cyclopum dentibus teri, audacissimè, impudentissiméque asseueratis.

Iuuen. sat. 3.

Act. 3. 21.

2. Cor. 5. 16.

De Consecr. Dist. 2. Can. Ego Berengarius.

CAPP. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV.

DEcimum-nonum, vigesimum, vigesimum-primum, nil habent, quàm molestam aliorum miraculorum enumerationem.

Vigesimum-secundum, admistum habet ritum gentilem, fasciæ, ad recuperatæ sanitatis memoriam, suspensionem. A morbo enim aut ægritudine sanati, aut liberati periculo in dæmoniorum suorum honorem, aut vestes, aut alia dona suspendi in templis, aut tabulas, in queis sanitas recuperata, aut periculum vitatum depingi, describiue curabant. Strabo de Epidauro scribens testatur: *Hæc autem non parum insignis est ciuitas, præsertim ex Aesculapij claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse somniarunt homines. Erat vero templum*

Strabo Geogr. lib. 8.

ægrotantium

ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibus tabellis, in quibus Sanati languores erant inscripti. Et Tibullus:

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis. Tibull. lib. 1. Eleg. 3.

Et Horatius:

—me tabulâ sacer
Votiuâ paries indicat humida, Horat. carm. lib. 1. oda. 5.
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Tum Virgilius:

Seruati ex vndis vbi figere dona solebant. Virg. Aen. 12.

Ouidius de Diana:

Et posita est meritæ multa tabella Deæ. Ouid. Fast. 3.

Ita vt adhuc si viueret Ennius, & ritus Romanos videret, non dubito quin vt olim dixit, sic iam esset dicturus:

Moribus antiquis res stat Romana. Enn. apud Crinitum. lib. 3. c. 3.

At non quia antiquis est moribus, stat: verùm quia nondum venit plenitudo eius erroris & peccati:

Sed dabis ô meritas, Babylon, dabis improba pœnas: Psal. 137.
Et rerum instabiles experiere vices.

Vigesimum-tertium est mera poesis, mera fictio.

Vigesimum-quartum, habet gentili ritu Nouendialem supplicationem: appellat Augustinus NOVENDIALE. Aug. apud Duran. de rit. Eccl. lib. 2. c. 43. sect. 5.

Virgilius:

—adhibete Penates Virg. Æn. 5.
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.
Præterea si Nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radijsque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.

Et rursus:

Iamque dies epulata Nouem gens omnis, & aris Ibidem.
Factus honos.

Et apud tuum Tacitum *est Nouendialis cœna.* Tacit. Annal. lib. 6.

Scio te magnum discrimen hic esse dicturum, quòd illi epulati sint, vos non epulemini: at profanis vestris sacris operamini, vt illi suis. Nec sum nescius Nouendialia illa supplicia in duobus maximè fuisse versata, exequijs, & prodigio procurando. Prius docet Apuleius, Apul. metam. lib. 9.

Liuius

Liuius posterius. Sint diuersi & plures apud vos fines: At superstitiosum illum Nouenarium numerum ex gentilium rituum fæce hausistis.

Vigesimum-quintum solo miraculi commento est infame.

CAPVT XXVI.

VIgesimo-sexto admiraris, argumentaris, & ligneæ tuæ Deæ fundis preces. Admiratio est: *ô crebra, ô assidua miracula*! At ô te ineptum, ô te ridiculum! qui mirari vis videri, quæ apud te rides. Argumentatio sequitur acuta. *Vno* Natiuitatis *eius festo ad viginti millia sunt obseruata. Quis nisi Numen in vnum locum sic conduxit, & hunc Pietatis sensum infudit?* Multorum ergo concursus tibi pietatis argumentum est: & Numinis talem superstitionem approbantis. Sed Lipsi *Argumentum pessimi turba est.* Et quod Numen quæso conduxit tantum ægrotantium numerum ad templum Æsculapij? de quibus supra dixi ex Strabone. Templum ait ille, quod in vrbe tam magna, tamque celebri propter Æsculapium, magnum & amplum esse oportebat, vsquequaque ægrotantium multitudine refertum fuisse. An tu ergo dices illum concursum à Deo fuisse, aut Deo impia illa sacra fuisse grata, quia insanam multitudinem passus est eò itare?

Sen. de vita beata. c. 2.

Postremò, impiam habemus tuam pietatem, & execrabiles preces.

LIPSIVS.

Accedo DIVA, *trepidus ad sacrum locum,*
Quem tu colis colenda; quem notum facis
Notum per orbem, ab inclytis Miraculis,
Quæ magna, noua, atq; inusitata isthic patras.
En, DIVA, *pronus aræ ego aduoluor tuæ.*

THOMSONVS.

Colendam nusquam didicisti Lipsi nisi in verbo vestro non scripto, quod, vt vobis placet, in mille mutatur species, ad quod aliquid quotidie accedit, à Dictatore stygio, & mendaciorum patre. Non potestis nostram lucem pati vespertiliones; & quam non patimini, velle-

tis extinctam: Et quia longa tenebrarum vestrarum nox fuit, & diuturno somno multorum oculos sopiuit, qui prius mortem senserunt quàm diem, vos qui in ijsdem tenebris adhuc iacetis, non vultis eos audire, qui lucem aliquam ante vestram noctem fuisse dicunt, quos Deus ex illo somno excitauit, ex illis tenebris eduxit.

Quo tempore floruerit Epiphanius, qui aduersus hæreses (quarum vos facti estis hæredes) scripsit, quæso vide: tum quid dicat perpende. Neminem, nisi recentiores nostros præcones, aduersus eos, qui talibus superstitionibus obnoxij fuere, & se tradiderunt, quales vos auidissimè amplexamini, & pro quibus tanquam pro aris & focis, pugnatis, locutos esse vnquam, aut scripsisse dictitatis. Tu ergo qui colendam, si non statuam, at beatam Virginem blasphemo dicis ore, quid aduersus eius cultum nobiscum dicat Epiphanius obserua. *Quis Prophetarum* (inquit) *præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium quidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata. Verùm & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, & siquid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helias ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus, sicut Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honorator hac est, propter dispensationem mysterij, qua digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in viuis sit; neque Ioannes adorandus, quanquam per preces suas dormitionem suam admirandam effecerit: imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorarunt creaturam præter* (nota illud præter) *Creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ, quæ per preces & omnem diligentiam, secundum promissionem, patri ac matri data est? Non tamen aliter genita est, præter hominum naturam; sed, sicut omnes, ex semine viri & vtero mulieris.* Item: *Carnem induit Deus Verbum ex sancta Virgine, non tamen vt adoretur Virgo, neque vt Deum hanc efficeret.* Item alibi: *sit in honore Maria: Pater Filius &*

Epiphan. aduersus Collyridianos hæres. 78.

Nota.

Nota.

Spiritus

Spiritus S. adorentur: Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque virum. Deo debetur hoc mysterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur, quæ malè scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Conuertatur rursus figmentum ad Dominum. Reuertatur Eua cum Adam, vt Deum (hoc mihi obserua) *colat solum, ne ducatur Serpentis voce: sed permaneat in Dei præcepto. Ne comedas de ligno. Et erat lignum non error: sed per ipsum lignum: facta est inobedientia erroris. Ne comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulcrum est lignum: sed tamen non ad cibum. Etsi pulcerrima est Maria, & sancta, & honorata: at non ad adorationem. mulieribus* illis superstitiosis quæ Virginem beatam colebant, tandem ait, *imponatur silentium per Ieremiam, neque amplius orbem turbent, dicentes* NOS COLIMVS REGINAM COELI: *Deus enim scit tales idololatrias punire.* Idem & viris dicendum Lipsi putabis: nisi fortasse viris, non mulieribus sic insanire credas licere: sed idem colere vir mulierque iubetur, nec quidquam præter Deum vnquam colendum prophetæ, Apostoli, purioresque & Apostolorum seculo propinquiores patres dixerunt. Quare impia sunt illa tua carmina, quæ creaturæ cultum astruunt. In illo versu

En DIVA *pronus aræ ego aduoluor tuæ,*

par est impietas, quia ex eo Mariam Deum esse, sequetur. Si enim rectè olim Athanasius aduersus eos, qui Spiritus Sancti Deitatē negabant, ratiocinatus est, cùm inde probauit Spiritum Sanctum esse Deum, quia templa haberet: (Nam πᾶς ὁ ναὸς, Θεοῦ ναός ἐστι: *omne* inquit *templum, Dei templum est*) Quidni ergo & ex tuis Lipsi verbis Mariam, Deum esse sequetur, aut, vt alibi vocas, Deam, cui dedisti *aram*? Nec enim vlli debetur ara, nisi cui templum: si illi ara datur, & templum: cur non dicetur Deus? Sed *Dominus Deus noster, Deus vnus est.* Hunc qui non colit, præter hunc qui quidquam religiosè colit, maledictus esto.

Nota.

Deus *solus* colendus.

Mariam colere, Idololatria est.

Atha. to. 2. dial. 3. de Trin.

1. Cor. 6. 19.

Deut. 6. 4.

LIPSIVS.

Miserere, VIRGO *mitis es; fac, quod soles.*
Miserere, MATER *es Dei; fac, quod potes.*

THOM-

THOMSONVS.

Aut tu Lipsi ignarus es tuæ religionis, (sed quid dico tuæ, qui fortè omni religione cares?) saltem quam profiteris, aut illi, qui supplicandi modum distinxerunt, mentiti sunt, aut tu denique, si non ignoras, nec illi mentiti sunt, contra religionis vestræ normam preces concipis. Nam cùm nos inuocationem solemus dicere, partem esse cultus diuini, & vos in eo plurimùm peccare, quòd quidpiam præter vnum Deum inuocetis: responsatis, vos non ita precari sanctos defunctos, vt Deum. En verba Hosij Cardinalis. *Quid esse criminis poterit in illis* [defunctis] *inuocandis? non tanquam largitoribus, hoc enim solius Dei proprium est, sed tanquam deprecatoribus. Deum inuocantes dicimus*, Concede quæsumus: præsta quæsumus: Largire quæsumus: Tribue quæsumus: *Sanctos inuocantes, nihil aliud dicimus, quàm*, Ora pro nobis. Tu autem Lipsi ais — Hos. Confess. Cathol. fid. c. 58.

En DIVA *pronus aræ ego aduoluor tuæ,*
Tu supplicem audi. Tabet hoc corpus mihi,
Simulque corpori ipsa mens: *Tu Subueni,*
Aut ire iam mox Lipsio exequias licet.
Sed subueni
Miserere. VIRGO mitis es; *Fac*, quod soles.
Miserere. MATER es Dei; *Fac* quod potes.

& capite trigesimo:

laqueos mali
Detege, Solue, aut *Frange.*

& vltimo tui libri, de Idolo Aspricolli, capite,

DIVA *Fac* nobis miserare Belgas.

& rursus:

Tu malis fessos *Releua,*
Tunc tibi laudes, DEA, *dicet omnis*
Sexus & ætas.

Contrà ergo tu Lipsi precaris, quàm vestri precandum scribunt, aut contra scribunt illi, quàm ipsi precantur & tu cum illis precaris. Nam si Hosio credimus, tibi Lipsi dicendum fuit, O Beata Virgo, ora Deum, *qui pater est misericordiarum, & omnis consolationis*, vt mei misereatur. Sed neque tu præceptorum normam sequeris, neque illi iuxta Dei verbum præcipiunt, aut docent, — 2. Cor. 1. 3.

nec vtrique Christi estis discipuli. *Qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus*, inquit Chrysostomus. Christus docuit vnum Deum inuocare, quod tu non facis: docuit suo vnius nomine petere, & precari, quod vos omnes contemsistis. Vos ergo an Christi sitis discipuli, ex Christi Chrysostomique verbis & vestris factis quiuis potest iudicare.

Chrysost. Homil. 14. in Matth. ex cap. 6.

CAPP. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI.

VIgesimum septimum, octauum, nonum nil habent præter miraculorum vana figmenta.

Trigesimum ex insanis commentis, impijs mendacijs, blasphemijsque sacrilegis est totum conflatum: præter sanguinem purum, quem dicis mulierem annum integrum per aluum emisisse, addis *octo bestiolas quæ musculos recentes à matre imitarentur, raro pilo, caudatos & viuos, tum pisciculos duos è vilium capitonum genere, tum alius generis, quatuor, denique vermem instar modicæ viperæ vomuisse*. Quis hæc audiat patiente aure? animalia terrestria, aquatilia, tot, tam diuersi generis, simul in humano gigni, aut esse stomacho?

LIPSIVS.

Et quem non Genium fuget,
Et quam non striga, quam sagam,
Magni magna Dei parens?
De qua sacra profantur,
Hanc fore, quæ serpentis
Contereret caput improbi.

THOMSONVS.

Gen. 3 15.

Impudentissimum hoc est aduersus sacras Scripturas mendacium. Non enim ait Deus, ipsam mulierem, sed ipsum semen mulieris, caput serpentis contriturum. Id, qui Hebræam linguam norunt, non possunt, nisi cum summa impudentiâ negare. Et ita intelligendum esse illum locum, non obscurè docent Græci, illi septuaginta interpretes. Cum enim antecedens fuisset σπέρμα, relatiuum subdiderunt masculinum αὐτὸς, per Synthesim,

ſim, eum, qui ex muliere oriturus erat, non minus piè quâm verè intelligentes. Neque aliter ſenſerunt Apoſtoli. *Quia verò* (inquit Paulus) *pueri communicauerunt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum.* Quid hoc aliud eſt, quàm, Chriſtus qui carnem ex mulieris ſemine ſumſit, Serpentis caput contriuit? verba non ſunt eadem: res eadem eſt. Et in eandem ſententiam it Ioannes, cum ait *apparuiſſe filium Dei* (nimirum in carne humana ex mulieris ſumta ſemine) *apparuiſſe* inquam *Filium Dei* non matrem Dei, *vt diſſolueret opera Diaboli*, id eſt, Serpentis illius antiqui caput contereret. Et Paulus alibi ad locum illum Geneſeos alludens, ait, non hominem merum, non Mariam, ſed *Deum breui Satanæ caput contriturum.* Falſum ergo eſt quod tu ais Lipſi

Heb. 2. 14.
1. Ioan. 3. 8.
Apoc. 12. 9.
Rom. 16. 20.

Sacra profari
Hanc fore, quæ ſerpentis
Contereret caput improbi.

Et blaſphemo tandem addis ore

Feciſti ô Dea: porro fac
Et fraudes, laqueos Mali
Detege, ſolue, aut frange.

Mentiris illam ſerpentis caput contriuiſſe: Iam tertiùm vel carioſum truncum, vel ſi ipſam Virginem, at creaturam, Deam vocas: illique vt ipſi Deo preces fundis, *Detege, ſolue frange*, Ipſe Deus eſt qui laqueos detegit hominibus captiuis, qui *dat illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem.* Ille Filium ſuum *dedit in fœdus populi, vt educeret de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Et *in hoc* ipſum *apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Denique non ſi mater, ſed *ſi Filius nos liberauerit, verè erimus liberi*, verè è Diaboli caſſibus euademus, adque cœlum volabimus.

2. Tim. 2. 26.
Eſa. 42. 7.
1. Ioan. 3. 8.
Ioan. 8. 36.

Trigeſimo primo capite, ad miraculi fidem, minutiſſima quæque circumſtantiarum enumeras, ſuſpicioſè teſtes inculcas, & gentili ritu & inſano, ſanatæ (vt fingis) calceum Virgini appenſum dicis.

Trigeſimi ſecundi capitis pigmentum ex eadem eſt

depromtum fideliâ, miraculum cum appensâ Diuæ Liberatrici (ita blasphemè loqueris) fasciâ.

Trigesimum tertium in miraculis recensendis pergit, & mendacijs Idololatriam addit: *Ecce*, inquis, *Virgines in horto elegerant sacellum quoddam modicum, & collapsum instaurauerant, in quo Diua illa, atque instar eius coleretur.* Diuam pro Deo, statuam pro Diua, aut in statuâ Diuam, in Diua Deum execrabiles mulierculæ & diris deuotæ sacris, rationis factæ participes, iam sponte expertes, profanè, impiè, sacrilegè colunt, & contumeliosissimæ in Deum, gemina idololatriâ eum quasi eductis signis lacessunt. Quid de imaginum, mortuorumque sanctorum cultu sit sentiendum supra dixi: hic non repetam, ne sim fastidio lectori, quem quæ dicta à nobis sunt vellem meminisse, aut eò, vbi dicuntur, recurrere.

Idololatria in horto.

Trigesimum quartum præter miraculum, habet Ethnicum scelus, munus in *Aspero colle*, oblatum: At hunc ritum irrisit poeta gentilis, cùm dixit,

Perſ. Sat. 2.

quâ tu mercede Deorum
Emeris auriculas?

& alius:

Iuuen. Sat. 6.

Vt veniam culpæ non abnuat, ansere magno
Scilicet, & tenui popano corruptus Osiris.

At cui offertur munusculum? Virgini? non eget. Statuæ? sensu caret, nec nouit vti. At quid muneris offertur? An aurum & opes? Hic vos quæso

Perſ. Sat. 2.

Dicite pontifices in sacris quid iuuat aurum?

Adeone insani estis, vt Deum qui potest, aut sanctos, Deo fruentes in cœlis, quos ferre opem posse putatis, pretio conciliari posse arbitremini? Vt existimetis cœlum largitionibus corrumpi, quia corrumpitur terra?

At fortasse non aurum, sed laurum, quam statuæ capiti imposuere, obtulerunt illæ mulieres; i. coronam lauream aut strupos. an potiùs tale munusculum, quale capite trigesimo septimo puellam Diuæ dedisse scribis, id est *cereum*? seu ceream faculam? Opinor. Sed quid fecit illa? quid hæ, quid alij, quid aliæ faciunt, dum hæc faciunt? *Accendunt lucernas, quibus lux nulla est, adfigunt postibus lauros, postmodum arsuras, quibus ignes imminent: Illis competunt & testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum.*

Tertull. de Idol.

Trigesimum

Trigesimum quintum miraculo fictitio, superstitiosam & gentilitiam ternarij numeri obseruationem addit. *Orant, & trino sacrificio missæ intersunt.* De execrabili vestro sacrificio, si pro eius indignitate, & sacrificij veri, vnici, semel oblati dignitate vellem disserere, extra Lycæum, etsi non extra rem, longè exspatiarer. Ad numeri ergo obseruationem quod attinet, nemini, vel tenuiter in iniquitatis vestræ mysterio, versato, ignotum est, quàm superstitiosè illum numerum ternarium obseruetis. Et vel leuiter poetarum lectione tincti, illam ternarij numeri superstitiosam obseruationem à gentilibus manasse animaduertent. Virgilius:

Necte Tribus modis, Ternos Amarylli colores. Virgil. Eclog. 8.

Ouidius:

TER *que manu permulsit eum: Tria carmina dixit.* Fast. 4.

Idem:

Certè ego transilui positas TER *in ordine flammas,* Ibidem.
Virgáque rorales laurea sparsit aquas.

Horatius: Horat epist. lib. 1. epist. 1.

—sunt certa piacula, quæ te
TER *purè lecto poterunt recreare libello.*

Ad extremum addis: *vera sanitas erat, nihil mimicum:* certè nisi timeres Lipsi, nos hæc non credituros, non ita miserè te nosque torqueres, in miraculorum tuorum veritate vbique inculcandâ. Id certè tam non persuadet nobis de veritate, vt quo magis, à simplice narratione recedis, minùs, propter molestam & importunam asseuerationem credamus.

Trigesimum-sextum caput concolores adtexit fabulas, *Michaelam* quandam, vario languore detentam, *ipso momento, quo inclytum illud* Salue Regina, *canitur, manum super humeros incumbentem, & prementem percepisse, atque adeo ipsos digitos tractim diducentem.* Cui tu Lipsi persuadebis istam statuam digitos habuisse nobiles, & quæ suâ sponte demulcerent ęgræ humeros? Aut si statuam non dicas sed Diuam Virginem fecisse, cui tamen persuadebis illam digitos tam longos habere, vt ipsa in cœlis, eam, quæ in terris sit, possit contingere? Aut quid opus digitis tangere vt sanet, cùm tot dicis antè, secreto quodam numine & insensibili sanasse? *Inclytum* porrò

rò appellas illud *Salue Regina*; Non tantum non pudet vos vestri dedecoris, sed & iactatis. Vnde ille defunctos salutandi ritus, nisi a gentilibus, qui ita suos Diuos, quos ipsi cœlorum ciuitate donassent, salutabant? Sic sanè Herculem salutauit Propertius:

Propert. lib. 4. eleg 9.

Sancte parens salue, *cui iam fauet aspera Iuno.*

Æn. 8.

Et Salij apud Virgilium:

Salue *vera Iouis proles decus addite Diuis.*

Allusum ad Lipsi effigiem circa quam scripta sunt illa verba.

Ita tibi Lipsi, vobisque omnibus Papistis MORIBVS ANTIQVIS, sed profanis, superstitiosisq; esse placet.

CAPVT. XXXVII.

LIPSIVS.

P*ater* [Angelæ Wouteriæ] *vxorem monet, cum filia ad templum Diuæ sacrum ire, & precari. Exsequitur, cereum emit, & puellæ iubet accendere, accensumque ante aram Diuæ collocare.*

THOMSONVS.

Nullum templum Diuis, sed Deo Domino sacrum esse debere, & fuisse ostendit vetus eius vocabulum quod in constitutionibus quæ Apostolis tribuuntur, vocatur κυριακὸν Dominicum, vel ædes dominica.

Διαταγαὶ τῶν ἀποστόλων. lib. 2. c. 58.

Cerei accendendi & diuis apponendi vanitatem simul & impietatem ad caput trigesimum-quartum suprà ex Tertulliano ostendi. Non repeto, & ad palpabilem quam hoc capite narras, impietatem reprehendendam venio.

LIPSIVS.

Mater toto corde precata pro filiæ salute, pro suo solatio, domum redit. Nihil eo die filia mutat: sed sequenti, benè manè surgit, sese vestit, calceat, descendit. Mirantur parentes & trepidè gaudent. Mater, Quis te alleuauit, & vestijt? Illa, Ego me, *inquit.* Sine aliquâ operâ? Sine vllâ. *Tum isti seriò gaudere: & magis, cùm ambulare, sedere, stare, omnia pro sanâ facere vident. Et gratias ergo Diuæ agunt, & tam inopinatam ei salutem meritò adscribunt, & diuulgant.*

THOMSONVS.

Mira res est, tam cæcos esse homines, tamque ingratos, vt cùm Deum pro salute sint precati, creaturæ tamen acceptam ferant. Id ego non primus, nec iam

primùm factum queror. De talibus, quales erant hi, de quibus tu Lipsi loqueris, his verbis queritur Lactantius, & reprehendit: *Nunquam Dei meminerunt, nisi cùm in malis sunt. Postquam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum verò alacres ad* Deorum *templa concurrunt. Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerant, nec verbo quidem gratias agunt; adeò ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria verò, vt vitia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur. Quanam istud ex causâ putemus? nisi aliquam peruersam potestatem, quæ veritatis semper sit inimica, quæ humanis erroribus gaudeat, cui vnicum ac perpetuum sit opus, offundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne denique in cœlum aspiciant.* Et tu Lipsi istorum accedis impietati parentum; Ais enim *meritò ei* nimirum Diuæ *salutem tam inopinam adscripsisse.* Lact. instit. lib.2.c.1.

CAPVT. XXXVIII.

PRæter miraculosam fabellam, seu fabulosum miraculum triplicis superstitionis bullis turgescit hoc caput, peregrinationis primus error est, vobis, gentilibus, Turcisque communis. Eas suscipere Turcas patet, *Clementin.* lib. 5. tit. 2. in glossa. Et ex Petro Bellonio. Gentiles suscepisse testatur Iuuenalis: Pet. Bellonius obseruationum l.b.3.c.21.

si candida iusserit Iö Iuuen. sa..6.
Ibit ad Aegypti finem calidasque petitas
A Meroë portabit aquas, & sparget in æde
Isidis.

Secundus error in numeri obseruatione; ter enim ais ægram illam virginem mittere ad Diuam, aut tertiò illuc ipsam ire decreuisse. At cur ter? an desperabat de solitâ Diuæ bonitate, quæ *Annæ Verreykiæ*, cum semel tantùm, & vix venisset, membra & oculos & alteram vitam reddidisse suprà dicitur? De ternarij numeri superstitione, quia supra dictum, prætereo. Diu. Aspr.c.9.

Tertius error est, quòd sacrificulos *Mysticum sacrum pro eâ obtulisse* dicis. Quod demum? Sacrificium missæ, Dominicæ cœnæ mimum, non destinatæ ad hunc vsum. In sui memoriam, & ad mortem, quam pro nobis subijt, annuntiandam, hoc sacrum Christus instituit, Luc. 22.19. 1.Cor.11.24. 25.26.

non vt pro ægritudinibus corporis depellendis Deo offerretur.

CAPVT XXXIX.

LIPSIVS.

HAdriana Gousia, *quæ ab annis iam triginta-octo surda facta erat, ad* Diuam Aspricollem *bis misit : & à reditu, cùm noctu quieti se componeret; nondum etiam dormiens : vidit adstantem lecto Diuam Virginem, quæ oculis sublatis intentisque adspiciebat. Primùm formidine aliqua correpta est; sed depulsâ, ad preces se vertit, & sanitatem ab ea supplex rogat. Statim Diua manum exserit, tempus vtrumq; in capite ei tangit, tangit & oculos : & verba addidit, quæ edere Virgini non est visum.*

THOMSONVS.

Apoc.14.13. Anima Virginis est in cœlis. Quid vos euocatis? quid turbatis? Quid commento Diabolico defunctorum animas ad terrestria ministeria redire fingitis? Porrò, quemadmodum supra ostendi vos, quidquid maiestatis, honoris, officij, auctoritatis Christo tribuitur, eius Matri tribuere : ita & hîc, facitis eam cum Christo Miraculorum splendore certare. Ille Ierosoly-
Ioan.5.5.&9. mis virum triginta-octo annis ægrum sanauit. Hæc totidem annis surdæ auditum reddidisse fingitur.

CAPVT XL.

QVadragesimo capite, malo aliquo actus Genio, Genium bonum fingis suggestorem.

CAPVT. XLI.

CApvt quadragesimum-primum est decade dæmoniorum ἐνεργουμένων. In quo examinando, schedæ Gallico idiomate Hadriani Huberti typis Antuerpiæ de huius capitis argumento potissimùm excusæ, operâ consilioque vtemur. Vnde quiuis facile animaduertet, te miraculorum plerorumque omnium, quæ â te hoc libro scribuntur, si non auctorem, certè amplificatorem fuisse.

¶ Primum ergo quod in hac historia narras, est *malos Genios*

Genios (ſic tibi viſum vocare) *torſiſſe, diſtraxiſſe puellam,* [Catharinam Buſiam] *geſtus, motuſque fœdos, aut ſupra naturam validos edidiſſe, vt ſæpe quini, aut ſeni homines non eſſent coercendæ.* Horum omnium ne vel *gry* in illa ſchedâ. Quid abſurdi ? dices : Hoc ſanè, cùm homo malè feriatus, ex tot miraculis *Idolo Aſpricolli* adſcriptis, paucula quidem, id eſt duo, pro maximis & imprimis ſtupendis elegiſſet, ea tamen, quæ electa illa miracula adaugerent, omiſiſſe, quale illud eſt, *quinos aut ſenos homines, non fuiſſe puellæ plerumque coercendæ.* Quod ille ſanè non omiſiſſet, ſi aut verum ſciuiſſet, aut dubiâ etiam fide audiuiſſet narrari.

Secundum, puellam Latinè, Græcè, Hebraicè locutam. quare hoc additum ? Quia à Dæmonijs incolis qui infeſtantur, ſic varijs linguis loqui feruntur. At quibus teſtibus locuta eſt puella ? Qui ſchedam Gallico edidit ſermone omnes dat ſuſpectos, & reijciendos, *Michaelem Caudelum,* curatorem ſeu paſtorem Eccleſiæ (vt vocant) S. Saluatoris, in vrbe, cui *Inſulis* nomen eſt, *Sylueſtrum Dionyſium*, eiuſdem Eccleſiæ presbyterum, aut, ſi mauis ſacerdotem, & alios præterea ſacerdotes, & (quos Religioſos vocant) fraterculos aut monachos. Sed tu Lipſi, emunctioris quippe naris, maluiſti nullos dare teſtes, quàm qui poſſent reijci.

Tertium eſt de *duobus militibus Heluetijs, profugis, quos oppido Nouo-portu argenteam thecam, Dominici corporis receptaculum abſtuliſſe, dæmonia per puellam vulgarunt.*

Neque hoc in ea, quam dixi, ſchedâ habetur.

Quartum, *per puellæ os, acus multas, ſulphur, nummum argenteum eroſum, & clauum ferreum palmarem, dæmonia effudiſſe*: neque hæc in illa ſchedâ inueniuntur.

Quintum, admirandum fuiſſe, quod puella illa diceret, & ſciret, quæ alibi facta eſſent, vbi non fuiſſet ipſa, vnde nec nuntiatum aliquid audiuiſſet. At hoc non eſt magnoperè mirandum. Celeres ſunt dæmones, & a loco in quo quid factum eſt, ad eum in quo volunt factum narrare, celerrimè transferuntur: tum vel magis, vel ſagis poſſunt patratum facinus prodere, & per domicilia vſurpata, id eſt per homines quos poſſederunt, enuntiare. Sed non abſurdum duco, te puellam ea dixiſſe

xiſſe fingere, quæ nunquam dixit, quippe cui mentiendi habitus, vt lepra quædam adhæſit.

Sextum, *interrogatos dæmones*, qui poſt ſeptem eiectos, adhuc in puella *erant*, *cuius virtute & interceſſione egreſſuri eſſent*, *reſpondiſſe*, *Mariæ Aſpricollis*. Tu ais, interrogatos cuius *virtute* & interceſſione, at ſcheda illa Antuerpienſis dicit *cuius meritis* exituri eſſent interrogatos, non cuius *virtute*.

Deinde cùm vos pro diabolis veſtris reſpondetis, exituros virtute Mariæ aſpricollis, hoc etiam mihi pro vobis reſpondeatis velim, cuius meritis, virtute & interceſſione eiecti ſint ſeptem illi priores? An eius, à quo illi ſunt eiecti, virtus meritumque in illis fuit exhauſtum, vt iam *Mariæ Aſpricollis* merito opus fuerit ad tres reliquos eijciendos? Chriſtus, fortaſſe dices, per ſe illos priores eiecit, ſed matrem voluit hoc honore dignari, & *honeſtare*, vt primo tui libri capite ais. Verùm ſupra oſtendi miraculorum patrandorum virtutem à Chriſto non quibuſuis, ſed Apoſtolis, & verbi ſui præconibus, non ad illos honeſtandos, ſed ad auctoritatem verbo, quod prædicabant, conciliandam, indultam fuiſſe. Et ſi iam voluit Chriſtus honeſtare matrem, cur potius in tribus, quam in ſeptem, quàm in omnibus decē eijciendis voluit? An quia illi priores erant minuſculi, & δαιμονίδια, reliqui tres dæmones magni & robuſti, (quippe qui non poſſent eijci, cùm eijcerentur alij ſeptem) vt Mariæ eo plus accederet laudis & honoris? ἄβυσσον eſt hoc myſterium, & cuius βάθη nos nec poſſumus, nec volumus intelligere: ſed interrogationem opereræpretium erit diligentiùs conſiderare: cuius pudendam abſurditatem quiuis facilè perſpiciet, qui, ea quæ interrogationem præcedunt, ſimul obſeruabit. Scheda Antuerpienſis habet, interrogatum fuiſſe dæmonem: concepta hæc verba ſunt: *luy eſtant demandé par l'exorciſte, par merite & interceſſion de qui il ſortiroit? Reſpondit, de Marie de Mont-aigu*: Id eſt: *Ille, cuius merito & interceſſione egreſſurus eſſet? per exorciſtam interrogatus, reſpondit, Mariæ Aſpricollis.* Tu autem Lipſi ais *adiuratum & adiuratos* [reliquos duos] *de egreſſu, facturos reſpondiſſe, virtute & interceſſione Mariæ Aſpricollis.* Ineptè & abſurdè

D. Aſpr. cap. 1.

Apoc. 2.24.

absurdè vtrobique. Nam scheda habet, *Syluestrum Dionysium* exorcistam prius Hostem id est dęmonem mentitum comperisse : & tu paullo antè hoc eodem capite, habes, dęmones se septẽ esse, falsò dixisse. Et iam tamen à mendacibus verũ responsum expectarunt exorcistæ? Ridiculi illi, si expectarunt. Sed nos ęquè verè dæmones de Mariæ Aspricollis virtute, meritis, intercessione secundò, ac de suo numero primò locutos arbitramur. Illis vnicum est studium, mendacijs à veritate abducere mortales. Illi se merito egressuros mentientur illius, quem vel quam â superstitiosis hominibus suspici & coli nouerunt, vt eo arctiùs superstitionis vinculis teneant constrictos. Illud esse dæmonum consilium in corporibus, quibus licentiâ acceptâ se immerserunt, relinquendis, suprà ex Lactantio, demonstraui. Porrò quòd Mariæ Aspricollis virtute, meritis, aut intercessione dæmonia eijci possint, id ipsa dæmonia per vos mentiuntur. *In nomine meo*, ait Christus, *dæmonia eijcient* : non cuiusuis, nisi sua vnius virtute, meritis, intercessione vnquam eijci posse dixit. Nec Paulus Mariæ, sed *Christi nomine dæmonio è muliere exire præcepit*. Neque nos vlla aut vllius virtute aut meritis, nisi Christi exire credemus. Vos sanè credite, religionemque vestram, & sanctorum merita iactate, dummodo (vt iam apertè dicitis) id dæmonia docere, eam dæmoniorum doctrinam esse fateamini.

Lactant. lib 5. c.23.

Ad caput. 2. D. Aspric.

Marc.16.17.

Act.16.18.

Septimum, quod in hac historia obseruo, est, inter tua & schedæ Antuerpiensis verba, de dæmonum exeuntium clamore discrimen. Tu dæmonem clamasse ais, *Viuat Domina Aspricollis, quæ egredi* me *cogit*. Scheda illa non vnum dæmonem, sed dæmones dixisse prodit, *Viue nostre Dame de Mont-aigu, qui nous fait sortir*. id est, *viuat* nostra *Domina Aspricollis*, *quæ* nos *egredi cogit*. illic [*me*] hic [*nos* :] Illic *Domina* tantum : hic etiam *nostra*. Aut ergo *Hadrianus* ille *Hubertus*, siue alius qui historiam hanc eius typis in scheda edendam dedit, aliquid addidit, aut tu demis: Aut commenti estis vterque cum alijs mendacium, quod nescit sibi constare. Sed cur tu τὸ [*nostra*] omisisti? An quia vobis communem cum dæmonijs Dominam esse, absurdum videretur?

LIPSIVS.

Quid ? inquis. Ipse laudat & magnificat ? Ita. sic & à Christo olim eiecti, prædicabant, & testabantur filium Dei esse.

THOMSONVS.

Ad c. 39. Miraculorum tuæ Diuæ cum miraculis Christi, contentionem te hic instituisse, suprà ostendi: vbi Diuam surdæ ab annis triginta & octo auditum reddere fecisti: vt Christus à totidem annis ægrum Ierosolymis sanauit. Nunc & perabsurdè in laude facis certare, quasi Diuam laudarint Dæmonia, sicut olim Christum prædicabant, & Filium Dei esse testabantur. At multo maximum est discrimen. Dæmonia enim, quamuis Spiritus sint mendaces, verè tamen Christum Dei filium esse dixêre. At nunc cùm tu dicis Diuam appellasse Dominam, aut tu commentus es hoc mendacium, aut vestri homines, aut si dæmones dixerunt: mentiti sunt.
Deut. 6. 4. Eph. 4. 5. Nam vt *vnus est Deus*, ita *vnus est Dominus*: nulla est nostra Domina, magis quàm nostra Dea. Deinde, impudentissimè laudem & prædicationem dæmoniorum arrogatis Deæ vestræ ligneæ, quam Deus verus reiecit.
Theophylac. in Luc. 4. *Non sinit*, inquit Theophylactus, *dæmonia loqui, quòd non indigebat immundorum laude: neque enim speciosa laus in ore peccatoris:* Sed vos vel ab Acheronte honorem vestris truncis accersiueritis.

LIPSIVS.

Matth. 6. 7. 8. *De puella, pura semel facta, ex eo mansit; Ad Collem venit, nouem ibi dies precata, & sacris operata est. O quis ille malus Diuæ vires abnuat, quas Princeps malorum Genius agnoscit?*

THOMSONVS.

Iterum Nouendialis sacri repetis superstitionem, vobis cum gentibus profanis communem. Quod super est, quàm misera, quàm abominanda, quàm ab omni veritate aliena, & Sacrarum Scripturarum ope derelicta sit vestra religio, vel puer videat: quippe quæ inferorum testimonia, quia caret melioribus, probat & iactat. Christus non admisit, cum quia mendaciorum parens est Diabolus, tum ne illi cum dæmonijs, necessitudo aliqua esse videretur. Vos ergo Christi hostes, Antichristi

tichristi satellites, illam, cuius auctor est Cacodæmon & præco, habete, possidete, nemo inuidet, & fruimini.

CAPP. XLII. XLIII. XLIIII.

QVadragesimo secundo capite cæcum illuminatum fabularis, & illuminationis testes inculcas, id veritus, quod suprà, ne lectores hæc tua miracula, veluti ficta, pro falsis ducant.

Quadragesimum tertium fabulam habet, præterea nihil.

Quadragesimum quartum nugas nugacissimas, Ioannis Courtesij manum ex vno semisse à *Diua Hallensi* sanatam, ex altero semisse, ab *Aspricolli*. At cur non omnino ab *Hallensi*? *Non impotentia*, inquis, *hæc numinis, sed prouidentia fuit: & in partem etiam venire Diuam* Aspricollem *voluit, aut potiùs idem Deus & Diua, hic etiam reliqua beneficij ire expunctum.* Quæ nugæ? An Diua tua Hallensis altera est ab Aspricolli, an vna & eadem Virgo est altera & altera? statua certè altera, & altera est: quod si inter illas diuidis hanc sanationem, quid, nisi detrahis Deo quod suum est, & das Idolo? Cæterùm si tibi Lipsi credimus

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Dicis enim tandem Deum in Colle aspero voluisse reliqua beneficij ire expunctum. Anne & hunc locum voluit Deus miraculis honestare? Si voluit: cur dimidijs miraculorum? cum vtrobique, vt tu ais, ediderit integra. Hæc omnia inextricabiles habent errores & infinitos, & infinita secum trahunt absurda, inter quæ id non est minimum, quod innuere videris, Deum distributo miraculo voluisse vtramque Diuæ vestræ sedem honestare, quasi miracula in illum sint finem destinata, ac non potius & penitus ad fidem sui verbi prædicationi conciliandam. Qua de re quoniam suprà satis dissertatum est, ad manus venio sanationem.

LIPSIVS.

Venit eò, [ad Collem Asperum] *inuocat: globulos, quibus preces solet persoluere, sacerdoti offert, vt sacram statuam*

tangant

tangant. Dum recipit, manum laxatam videt, mouere, claudi, vt antea, & nihil ex contractione vltra esse.

THOMSONVS.

Quid, malùm, hoc est Lipsi, per globulos preces persoluere? Illine probè functi sunt officio, qui, quot habent baccas seu globulos, toties precularum formulam repetiuerunt? Qui, quod per vanam superstitiosam, impiam ἐθελοθρησκείαν sibi imperarunt malè, peiùs persoluerunt? Qui quinquies, decies, vicies, fortasse centies se preculas repetituros, id est, contra Christi mandatum prorsus facturos vouerunt? Reprehendit enim Christus eiusmodi βαττολογίαν, cauitque ne sui eâ vterentur, & ad Ethnicos, vt ritum superstitiosum relegauit. Paucisque nos voluit vti verbis, & pondus potius verborum, quàm numerum Deo offerre. Ceterùm, vt mihi quidem videtur, ritus ille vester, est gentilium ritu superstitiosior. Nam ternario, quem illi obseruarunt, vestri sæpe addunt, ternarios viginti, quibus numeris seruandis, intentiores sunt, quàm precibus concipiendis. Huc accedit alia superstitio; quòd *Cortesius* ille globulos suos sacerdoti obtulerit à statuâ (vt vocas) sacrâ tangendos. Quorsum? an vt statua afflaret numine has baccas? In eum finem certè id factum, & cum suo fructu, innuere tu Lipsi videris, cum ais: *Dum recipit* [nimirum globulos] *manum laxatam videt*. Ita Deus dat Diuæ, Diua statuæ, statua non precibus, sed globulis, per quos eæ persoluuntur, sanandi virtutem. Hæc monstra sunt; nec miracula, sed piacula & *sacricommissa*. *Cortesij* vanitati & superstitioni tu tuam Lipsi addis impietatem, cum idolum execrabile, statuam vocas sacram. Id enim est perpetuum, & constans, quod dixit Tertullianus: *Imagines idola, imaginum consecratio idololatria*. Postremò in ora libri tempus, quo hoc miraculum patratum fuit, adscribis, quod & in alijs huius tui commenti capitibus facis. Non amo Lipsi nimiùm diligentes. Asseueratio audax, testes vbique inculcati, adnotatum tempus, expostulatio cum his, qui nolunt talia commenta pro veris amplecti, miraculorum, tuamque fidem non augent, sed minuunt.

Matth. 6. 7. 8.

Vide Crinitum de hon. disci. li. 14. c. 2.

Tertull. de Idolola.

CAPVT

CAPVT. XLV.

DVo superſunt miracula in Ioanne Clemente ſanando patrata. quem vſque ad annum vigeſimum tertium membris diſtortis deprauatiſque vixiſſe fingit ſcheda Antuerpienſis Huberti, vt vix vnum aut alterum annum, immò fortaſſe diem, ea facie viuere potuiſſe ſit credibile. Quid enim? *Tibiæ & pedes contracti, & antrorſum verſi in pectus, ſic vt genua iniungerentur, & adhærescerent, nec eſſet digitum, aut aliud immitere, tanquam natiuâ concretione. Globoſum aliquod corpus diceres, nec ſtare, iacere, ambulare idoneum: ſedere tantum, & ſedendo proſerpere, manuum aliquo nixu, quæ fulcris etiam iuuabantur.* Iam quomodo hic ex claudo & globoſo rectus, ex debili firmus factus eſt, videamus.

LIPSIVS.

Vectus eſt curru, in ſacellum [Diuæ Aſpricollis] *repſit, culpas confeſſione & pœnitentia expiauit, ſacram hoſtiam ſumſit: & paullò pòſt, angi viſus, & animo collabi, item dolores in omni corpore ſentire: denique ſudor à capite ad calces diffluere. Et dum conatur egredi, atque aëre refici, magis increuit morbus: manſitque volens nolens totum diem in veſperam. Tunc ſolennes Diuæ laudes canebantur, & ipſe ante aram: ſentitque palàm à terra ſe attolli, & pedes antè contortos, & ligatos laxari, deÿci: idque thorace, qui velabat, per vim diſrupto: & ſtatim directus, pedibus ſuis ſtetit. —— vires deinde magis magiſque augeſcere: ipſæ tibiæ tenues & exſuccæ, carne & ſanguine impleri.*

THOMSONVS.

Quid ſi ego te ſenem elementarium iam Lipſi vocarem? Quis iure poſſet culpare? Nam prima Chriſtianæ religionis elementa nondum didiciſſe videris. Non confeſſio, non pœnitentia culpas expiat hominum & peccata. *Agnus Dei tollit peccata mundi.* Ioan. 1. 29. *Sanguis Chriſti nos mundat ab omni peccato.* 1. Ioan. 1. 7. *Ille* ſolus *lauit nos à peccatis ſanguine ſuo.* Apoc. 1. 6. Ille inquam non per alium, non per aliud, ſed *per ſeipſum purgauit peccata noſtra.* Heb. 1. 3. Claude ergo, piaculum, impudens illud os, quod, Babylonicæ meretricis lacte imbutum, paſſim veritati obſtrepit.

Quid

Quid tu porrò sacram hostiam hic vocas? an furfuream vestram buccellam, incantatum sacrificuli murmuribus Popanum, nec consecratum, sed exsecrabile crustulum, hostię sacræ, id est, ipsius Christi nomine honestas? Fuerunt sub lege sacrificia visibilia, Christi, qui verum sacrificium fuit, & vera hostia, typi: at iam *nihil est aspectabile, neque sacerdos, neque sacrificium, neque altare.*

Chrysost. in cap. 10. ad Hebr. orat. 19.

Tertio loco est curatio claudi *per dolores.* Hoc faciunt medici, hoc chirurgi sæpe. At Deus potenti verbo, & voluntate, sine dolore sanat. Tu verò vt verisimilem faceres fabulam, dedisti quosdam curationis & sanationis gradus per dolores.

Quartò, cùm Hubertus ille Typographus Antuerpiensis, qui duo tantùm miracula ex omni fictorum numero, pro maximis, stupenda proposuit, *miraculosè* tantùm *Clementem* illum *sanatum, & pedibus suis nixum ambulasse* dixerit; tu tamen pro tua copiâ, ne absurdum videretur, hominem tibijs, tres solùm digitos crassis, (quod ait *Hubertus*) ambulasse, rem amplificasti, & carne & sanguine tibias impleuisti.

Quintò, *Hubertus* vnum circa Clementem miraculum obseruauit, tu duo obseruasti. Nam, *alterum,* (inquis) *mirum. Vulnus in capite ante dies quindecim acceperat, nec id coiuerat: coiuit sponte ipso illo tempore, & cicatricem accepit.* Hoc est, quod ab initio dixi, callidas illas vulpeculas, sacrificulos, seculi sui & religionis retrimenta, regum insidias, orbis odium, orci amorem, carne denique personata dęmonia Iesuitas monachos, episcopos, id est hypocritas tuâ voluisse operâ, in sterili hoc miraculorum agro excolendo vti, vt tot & tanta haberentur Hallensis Aspricollisque Idoli miracula, quot & quanta tuum ingenium esset ficturum.

Postremò ais medicos, talium haud temerè credulos, exclamantes te audiuisse, *Verè hanc vim & manum Dei esse.* At nos neque tibi nec testibus, (quibus vbique nos obtundis) credimus medicis, qui Scorti Romani philtra postquam hausistis, cum eo didicistis scortari, eiusque furtis, fraudibusq; mangones, lenones, proxenetæque patrocinari.

CAPVT

CAPVT. XLVI.

LIPSIVS.

[O DIVA] *benefica esse perge. & in corpore animum etiam cura. Cura illos, qui à Deo & à te versi, prisca sacra & ritus deseruerunt, nouis adhæserunt: iterum deserant, & tam claris signis moniti, hîc Deum, hîc pietatem esse, rebus docti assentiantur. Et patriæ denique adflictæ, & iam extremùm pænè suspirantis, miserere: quod versu seriò & calidè rogamus.*

THOMSONVS.

Primùm mihi dicas velim Lipsi, an non qui seriò & calidè rogat, rogat ex animo? Ita; opinor, dices. Deinde recordare quæso, te, cum cultum in internū externumque diuisisti, internum eum esse dixisse, *qui in animo & ex animo, Deo vero preces concipit*, externum, *qui hæc eadem per ritus & gestus expromit*. Adde tertiò capitis huius titulum, *pro patria preces*, & precum formam, [*O Diua*] *benefica esse perge: cura: miserere: audi: exaudi.* Calidè & seriò, id est ex animo, non Deo per virginem, sed ipsi virgini concipis preces. Aut ergo malè olim finiuisti internum cultum: aut malè iam ei das cui non debetur, non enim est Virgo beata verus Deus. Porrò vt contra tuam definitionem, ita contra superstitiosi vestri cultus praxin (si Hosio vis credi) precaris, vt suprà ostendimus. Nam *Deum*, inquit, *inuocantes dicimus* concede: præsta &c. Sanctos inuocantes, *nihil aliud quàm*, ora pro nobis: tu tamen tuo more Lipsi, *Cura, Miserere, Audi, Exaudi*: & infrà, *Miserare, Releua.* Sic tibi Lipsi cum tuis erit bellum. Sed iam quid roges videamus. Curari illos cupis, qui à Deo & tua Diua versi, prisca sacra & ritus deseruerunt, nouis adhæserunt. Qui illi desertores? quæ prisca sacra? nos: vestra superstitio. Deseruimus quidem vestra sacra execrabilia, quæ præ illis, quæ nos repetiuimus, & sumus amplexi, sunt noua, & hesterna; quę non paucis post Christi ad cœlum ascensionem, Apostolorumque finitum ministerium annis & seculis in Ecclesiam irrepserunt. Nos *pascua montium Israelis* amamus & sectamur: & inspectis despectisque

Lips. polit. lib. 1. c. 3.

Ad caput 26.

Ezech. 34. 14.

vestris traditionibus, stercus illud humanum vobis relinquimus porcis vorandum. Nos vnum colimus Deum, id prisco ritu, & vero: vos cum illo, aut pro illo Angelos, mortuorum hominum animas, ossa, cineres, exuuias, pannos, calceos, imagines, aurum, argentum, æs, lignum, lapides, Deos stercoreos ritu vestro & nouo. Id enim antiquissimum, quod verissimum; verissimum, quod à Deo: Vester ille ritus à Deo non est, quia

* Exod. 20.

* prohibet: itaque non ita antiquus, vt noster non sit multo antiquior. Nos prisco ritu & Apostolico, cuiuis ad scortationem euitandam vxorem ducere permittimus: & inter quosuis, id est, in quauis conditione nuptias honestas esse prædicamus: vos nouo & Diabolico sacerdotes monachosque cælibes esse voluistis, coniugium sustulistis, permisistis stuprum. Nos prisco veróque ritu, nihil contra aut præter sacras Scripturas docendum, audendumque profitemur: &, *si non scriptum est, væ illud, adijcientibus aut detrahentibus destinatum, timemus.* At Cerberus vester Romanus, Os blasphemum vastæ Belluæ, *de iure supra ius, contra legem, contra Apostolum, dispensare* (ita loquitur) audet. Nos ritu pio, prisco, Apostolico, viduæ, quoties vnus vir decessit, alteri nubere viro liberum relinquimus: & iteratas nuptias, pias honestas, legitimasque, modò in Domino sint, cum Paulo ad Romanos Corinthiosque credimus & docemus. Vos secundas nuptias, iam *honestam fornicationem*, iam *verè fornicationem* nouè impudenter & impiè vocatis. Nos si vni vidua viro nupserit, cum Apostolo dicimus non esse adulteram, vos prostibulum appellatis. Et, ne omnia religionis nostræ capita in vestræ arietent, & paucis res absoluatur: Nos Agnum *quocunque it, sequimur*: vos Bestiam illam admirabundi: Nos Christum, vos Antichristum: nos Deum, vos Diabolum sequimini & adoratis: quia Antichristum, eius interpretem, libenter auditis, & imagines sub quibus dæmones latent, veneramini.

1. Cor. 7. 2. Heb. 13. 4. 1. Tim. 4. 1. &c. Dist. 31. c. omnino. & Dist. 28. c. Quando Deut. 12. 32. Esa. 8. 20. 1. Cor. 4. 6. Tertull. cont. Hermog. Apoc. 13. 5. De con. præb. tit. 8. c. Proposuit. in glossa. lit. l. & De voto & voti redem tit. 34. c. 9. & Causa 15. q. 6. c. Auctoritatem. Rom. 7. 2. 3. 1. Cor. 7. 39. Caus. 31. q. 1. c. Hac ratione. ead. caus. c. Quomodo. Apoc. 14. 4. Apoc. 13. 3.

LIPSIVS.

Audi exaudi

DIVA, *quæ gentes hominum, salutis*

Lact. instit. lib. 2. c. 17. Tertull. de Idololat.

Exsules

Exsules, partu recreas beato:
Astra quæ pandis, veterumque mutas
Fata parentum.
Diva, *quæ gaudens iterare dona,*
Erigis lapsos, trepidisque robur
Addis, & seruas varijs periclis
Vndique cinctos.
Clamat hoc ætas vetus, ista clamat:
Belgica hoc Hallis Grudiisque, *vidit,*
Et palàm iamnunc videt in propinquo
Colle Sichemi.
Hic tui vultus modica est imago,
Sed potens præsensque leuare noxas,
Quas neget curare vel Aesculapî
Docta medela.

& mox:

Tu malis fessos releua, & fauente
Pacis, indulge, recreemur aurâ:
Tunc tibi laudes, Dea *dicet omnis*
Sexus & ætas.

Thomsonvs.

Diuam, Lipsi dicis *astra pandere*: falsò. Et matri suæ, & alijs omnibus, qui vnquam cœlum ingressuri sunt, aperuit Christus: & *viam nobis initiauit nouam per velum, id est, per carnem suam ad loca sancta*, id est ad cœlum, quod illa sub lege significabant. Ille, ille est, *qui penetrauit cœlos*, per quem etiam *ad thronum gratiæ* datur aditus, *vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus ad auxilium opportunum*: & *accessus ad Patrem*. Ille, *præcursor cœlum pro nobis introijt, vt locum nobis pararet.* Heb. 10. 19. 20. Heb. 4. 14. 16. Eph. 1. 18. Heb. 6. 20. Ioan. 14. 2.

Secundò ais *Diuam veterum parentum fata mutasse*: mendacium est. Quæ enim erant illa fata? certè Deo vsque & vsque displicere, à *vita Dei alienatos esse*, pœnas æternas dare, semper mori, nunquam emori. An hæc mutare potuit illa, quibus ipsa obnoxia fuit? Fuit obnoxia, quia cum ceteris hominibus fuit in culpâ. Christus illa mutauit. quia ille, non illa, *purgationem peccatorum nostrorum fecit, lotis ijs sanguine suo.* Per illum *Deo placu-* Eph. 4. 18. Rom. 5. 12. 14. 18. Heb. 1. 3. Apoc. 1. 5.

Coloss. 1. 19. 20. 21. *it, nos sibi reconciliare, facta pace per sanguinem crucis ipsius,*
Eph. 1 19. *ex inimicis & alienatis, irreprehensibiles, ex hospitibus peregri-*
Eph. 5. 8. *nisque, socios sanctorum* & *suos domesticos, ex tenebris lucem,*
Eph. 2. 5. *ex mortuis viuos reddere, de potestate tenebrarum ereptos, in*
Coloss. 1. 13. *regnum Filij sui dilectionis transferre*, id est, per vnum suum filium acerbissima grauissimaque (sed heu! merita) parentum veterum, atque nostra adeò fata mutare.

Tertiò Diuam dicis *lapsos erigere.* Id æquè verum ac cetera. Christus est qui lapsos erigit. Christus est *positus*
Luc. 2. 34. *in resurrectionem multorum:* id est, omnium, qui resurrecturi sunt, nec stupido veterno sopiti in peccatorum luto hæsuri.

Quartò ais eam *trepidis robur addere.* Et hic alius annulus est mendaciorum tuorum catenæ. *Agno* enim *oc-*
Apoc. 5. 12. *ciso*, id est Christo myriades myriadum omnem adscribunt non modò *σοφίαν*, sed & *ἰσχὺν*, *robur. Ille* ergo, non illa *robur addit trepidis.*

Quintò *Diuæ vultus modicam esse imaginem, at potentem, præsentemqae noxas leuare.* Quàm impudenter tu hoc scripsisti, tam imprudenter Archiepiscopus Mechliniensis approbauit, quod fortasse non legit, aut si legit, quàm absurdum esset, non obseruauit. Nec enim puto vestrorum hominum plerosque ita insano imaginum amore furere, vt noxas leuare posse dicant. Quidquid tu dicis Lipsi, reclamant sacræ Scripturæ. Nam si illas vis do-
Ier. 10. 5. cto tuo oculo dignari, in illis leges imagines *nec malè posse facere, nec benè.* Nec est quod illa verba de idolis gentium intelligi dicas duntaxat, non etiam de imaginibus vestris, quæ paris sunt naturæ. Nam & apud Abacucum, Idolum seu *sculptile* aut conflatile nil prodest, nec
Abac. 2. 18. aliud est, quàm *imago falsa.*

Sextò vis eam *malis fessos releuare:* ineptè & impiè, siue mala corporis intelligas, siue animi: siue interna siue externa. De externis loquitur Deus Psalmo quinquage-
Psal. 50. 15. simo: *Inuoca Me, in die tribulationis: & eruam te, & ho-*
Matth. 11. 28. 29. *norificabis Me.* De internis Christus: *Venite ad Me omnes qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Et, ne multa

ta accumulem, *Omne datum optimum, & omne donum perfe-ctum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Iac. I. 17.

Septimò, vt ab ea vis releuari fessos, ita *omnis ætatis & sexus releuatos illi laudes dicturos* vaticinaris. At ipse Deus apud Psalmistam ait: *Immola Deo sacrificium laudis:* & Psal. 50. 14. magnus ille vir, *iuuenum virorum, generis humani quidam pædagogus*, & orbis miraculum IVSTVS LIPSIVS, cuius *penna volauit per alta spatia ætheris, per ima terræ volauit, & maris*, ait cultum internum *ex animo* DEO VERO *concipere preces, laudes grates.* Et quæ hæc inconstantia Constantiæ doctori, iam dare laudes, non Deo, sed creaturæ?

Lipſ. epiſt. ad Balthaſ. Moretum. Lipſ. vltimo cap. Diuæ Hallenſis. Polit. lib. I. c. 3.

Postremò, claudis hoc tuum opus nefandâ blasphemiâ: & iam quartùm siue statuam, siue beatam Virginem Deam vocas. Obtine antiquum Lipsi, obtine: ore impudenti fœda, iniusta, impia, stygis emissarius defende: tenebras veritati offunde, puros verbi diuini fontes, purpuratæ meretricis Philtris pollue, & inde medicata pocula, infelix Antichristi minister, regibus, gentibusque inebriandis propina. Qui iamdiu *nocuisti, adhuc noce, in sordibus fuisti, sordesce, mentire mendax*, fabellas interpola: Deo detrahe, quod suum est: mortuis da quod Dei est, hominem Deam voca, lignum Diuam: & trunco noxas leuandi vim dato: allatra nos, vt fecisti, & vbi ad rauim latraueris, latratuque fauces exsiccaueris, tuo te vomitu, dum hic es, refrigera. At simul igni te para & sulphuri, omnium Bestiæ cultorum destinatis supplicio: nec cœlum spera, nisi resipiscas. *Foris enim erunt canes, venefici, scortatores, homicidæ, idololatræ, & quicunque amat & facit mendacium.*

Apoc. 22. 11.

Apoc. 14. 10. 11.

Apoc. 22. 15.

ESA. LXV. versu 1. & seqq.

EXpandi manus meas toto die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bona, post cogitationes suas: populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper: qui immolant in

Vide c. 33.
Diuæ Asprie vbi in horto sacellum fuit, & in eo culta Diua & eius instar seu imago.

HORTIS, *& sacrificant super lateres: —— Qui dicunt, Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens toto die. Ecce scriptum est coram me, non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum, iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificauerunt super montes, & super* COLLES *exprobrauerunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.*

Restituenda.

Prior numerus paginam, posterior versum denotat.

8. 16. turpitudinem istam. 20. 20 sapere. 35. 35. ψευδώνυμε. 44. 33. principum. 47. vit. appellat. 66. 3 si non. 70. 26. Antistitum. 84. 29. sicut vnus Deus. 118. 7. Quodlibetarij 140. 34. vitatum fuit. 143. 24. honoratior.

